


Paulus Scalichius



Encyclopaediae, seu Orbis disciplinarum,
tam sacrarum quam prophanarum,
Epistemon*

INSTITUT
ZA FILOZOFIJU

*Iz: Pavao Skalić/Paulus Scalichius, *Epistemon*, priredila, uvod i komentare sastavila Mihaela Girardi-Karšulin, preveli Ivan Kapec i Neven Jovanović, Zagreb: Institut za filozofiju, 2004.

ENCYCLOPAEDIAE,

seu Orbis disciplinarum,
tam sacrarum quam prophanarum, Epistemon:

PAULI SCALICHII DE LIKA,

5 COMITIS HUNNORUM, ET BARONIS ZKRADINI,

S.[anctae] T.[heologiae] DOCT.[oris]

E I U S D E M ,

THESES Mysticae Philosophiae.

Eulogus, seu de anima separata, eiusque passione.

10 De iustitia aeterna, seu vera promissione, Gradatio.

Exilium, seu de vera Christi doctrina, et de sola fide
iustificante.

Ephesia disputatio.

De chorea Monachorum, seu coetu Antichristi.

15 De Labyrintho Romani Antichristi.

De Illustrium origine.

Revolutio alphabetaria, seu perfectissima ad omne genus
scientiarum Methodus.

Dialectica contemplativa, ad consequendos scientiarum

20 habitus perquam utilis ac necessaria.

Conclusiones, in omni genere scientiarum, mille
quingentae quinquaginta tres. olim Bononiae primum,
deinde Romae propositae, De mundo archetypo,
Intellectuali, Coelesti, Elemental, Minore, et Infernali.

25 Dialogus de Missa.

Glossa in trigintaduos articulos Canonis Missae, ex
Apostolo.

Epistola ad Romanum Antichristum.

Encomium Scientiarum.

30 BASILEAE, PER IOANNEM OPORINUM.¹

¹ K: donosi različit tekst: PAULI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HUN,

Ad Zoilum

5 Haec quicumque cupis rabie temerare canina,
Ne, precor, occulto sub lare clausus agas,
Si tibi Pallas tribuit, si doctus Apollo,
Dentur ab ingenio publica scripta tuo.
Sin minus, at tacitus me perges laedere sannis,
Zoile: nec tecum sic ego tectus agam.²

MARCHIONIS VERONAE, Etc. DOMINI CREUTZBURGI, MISCELLANEORUM
TOMUS SECUNDUS, SIVE CATHOLICI Epistemonis, contra quondam corruptam
et depravatam Encyclopaediam Libri XV.

QUIBUS UNIVERSUS ORBIS, TAM SACRARUM QUAM *prophanarum*
disciplinarum, omnisque omnium Sectarum et Philosophiae doctrina catholice
declaratur.

Censurae ac iudicio multorum Catholicorum et doctissimorum virorum,
Maguntini, Trevirensis, Monasteriensis, Leodiensis, etc. Principum: nec non
amplissimae civitatis Coloniensis, etc. exhibiti, et ab eis lecti, inquisiti, recogniti,
et ad Apostolicam limam reducti atque approbati.

Eiusdem pro Rhomana Ecclesia, adversus Neopistorum vesaniam, Oratio:
eorundem censura approbata:

Qua olim primus Dux Prussiae, per annos quadraginta turbulentis erroribus
intricatus, se plane extricavit: quae universa Protestantium et Confessionistarum
disciplina validissime confutatur et prorsus evertitur.

Accessit etiam Theodori Graminaei in Esaiaem et prophetiam sex dierum
Geneseos Oratio.

Coloniae

Ex officina Theodori Graminaei.

ANNO M.D. LXXI.

² Ovi stihovi u K: nedostaju. Umetnut je tekst, v. Dodani tekstovi I.

ADSACRATISSIMUM ET POTENTISSIMUM ROMANORUM
IMPERATOREM CAESAREM, Hung.[ariae] Boem.[iae] etc.
Regem, Divum FERDINANDUM, etc. Pauli Scalichii de Lika,
etc. in Encyclopaediae Epistemona Proemium.³

- 5 Quandoquidem natura omnes trahimur et ducimur,
sapientissime Imperator, ad insitam, vel potius innatam
nobis cognitionis et scientiae cupiditatem, ad congre-
gationem, ad societatem, ad communitatemque generis
humani: quorum amor in nobis tantus est, ut nemo dubitare
10 possit, quin ad eas res nullo emolumento invitati rapiamur:
utique eius gratia avemus aliquid videre, audire, discere,
cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium, ad
bene beateque vivendum necessariam ducimus: ob id, Rex
15 inlyte, ego ingenuis studiis atque artibus ita delector, ut
etiam valetudinis posthabita ratione, ipsa cognitione et
scientia captus, omnia perpeti cupiam, et cum maximis curis
atque laboribus compensare eam quam discendo capio
voluptatem: adeo ut non contentus, praeter communes
20 doctrinas, ipsam etiam Aegyptiorum ac Hebraeorum priscam
Theologiam et occultarum rerum harmoniam, in nullius
verba iuratus, ventilare contendam: et quocumque fert
tempestas, deferar hospes: non ut in me ostendam magni
quid, aut singulare, (docti enim nomen mihi nec sumo, nec
arrogō) sed ut eam fidem, quam cupiditati meae erga
25 bonarum artium studia debeo, liberem: et ut quidam certiores
reddantur, ab hoc otio contemplandi, cui me totum dedicavi,
sicut hactenus non potuerunt, ita nec in posterum me posse

³ Umjesto naslova od riječi *Ad sacratissimum* ... do *Proemium* K: donosi: Pauli Principis de la Scala et Hun, Marchionis Veronae, etc. Domini Creutzburgi, Epistemonis catholici liber primus. Omnium scientiarum, omnisque Philosophiae, Orphicae, Pythagoricae, Platonicae, communis sive Peripateticae, Medicae, Iuridicae, et Theologicae: deinde etiam symbolicae, vel Hebraicae, summam, et brevem descriptionem complectitur.

detertere. Docuit siquidem me sapientiae studium, a propria potius conscientia quam ab externis pendere iudiciis: cogitareque semper, non tam ne male audiam, quam ne quid male vel dicam ipse, vel agam. Quo fit Imperator invictissime, et serenissime Rex, ut dum mecum ipse cogitarem de hoc voluptatis genere, in tantam inciderim amoenitatem studiorum, ut et fulmina et tonitrua istorum facile caverim, dies noctesque contemplationi incumbens, disserendo de vetustissima illa Orphei et Pythagorae doctrina, et de tota Encyclopaedia tam sacrarum quam prophanarum disciplinarum: Philosophia nempe supernaturali, quae Metaphysica et Prima Philosophia nuncupatur: Naturali ex qua et Medicina, tum quae de Anima pertractat, et Mathematicae quattuor, quas et doctrinales appellant, Arithmetica, Musica, Geometria, et Sphaerica (cum suis illis veluti pedissequis, Calculatoria, Geodesia, Canonica, Astrologia, Optica et Mechanica) nascuntur. Item de Morali, Oeconomica et Politica: de Rationali, unde Grammatica, Historia, Dialectica, Rhetorica, et Poetica emerferunt. Ultimo, de sancto illo et ineffabili symbolo sacrarum literarum, quod Philosophiam symbolicam appellare soleo. Quae dum singula exactius mecum considero, universae Encyclopaediae Dialogum instituo, in quo particulatim Epistemon cum Philomuso de omnibus sermocinantur. Quem Maiestati tuae, potentiss.[ime] Imperator et sacratiss.[ime] Rex, dedicavi: eoque iure tibi debere puto, quo me ipsum omnino iam pridem tibi debere intelligo. Minus dico quam vellem: et verba omnino frigidiora haec sunt, quam ut satis exprimant quod concipio: hoc est, qua fide et veneratione, qua observantia et cultu te prosequar. Quod si eo nomine Bacchum vinitores, Cererem agricolas, Panem agrestesque, deos pastores coluisse tradidit antiquitas: tanto magis te potentissime Imperator, philosophantium turba observare atque colere debet, qui literarum

solus potestatem facis, et libertate donas gratissima: qui merito Mercurium, illum Aegyptiorum summum et philosophum et sacerdotem et regem, ob id Trismegistum nuncupatum, aequare videris: Ptolemaeum item, Caium
5 Iulium, et prudentia et contemplatione prae te fers. Taceo de Hebraeorum sapientibus, Davide et Salomone, cum quibus facile et continentia et sapientia certare potes. Quamobrem non immerito te veluti Alexandrum Magnum fata ad imperium orbis terrarum vocaverunt. Ut enim ille malebat
10 doctrina, quam magnitudine imperii excellere: quia Aristotelis sapientiam ita complectabatur, ut cum privatis sumptibus explorari naturae animantium non possent, octingenta ei talenta miserit, hoc est 480 millia coronatorum ad conducendos venatores, et alendas bestias, quarum natu-
15 rae considerari possent: et quod maius est, saepius dicere consuevit, se Aristotelem amare non secus ac patrem, ob studiorum et morum integritatem: Sic tu gloriosius existimasti semper, sapientia ipsa cuncta moderari. Cuius amore percitus, multas Academias alis et plurimorum
20 doctorum virorum integritatem non secus ac tuam ipsius complecteris. Itaque hoc specimen meae erga te fidei, tuo paratum nomini, qui semper fuisti virtutis verae custos, rigidusque satelles, serena fronte ut suscipias, quod tuo iudicio stetque cadatque, oro.⁴

25 ENCYCLOPAEDIAE, SEU ORBIS DISCIPLINARUM, TAM sacrarum quam profanarum, Epistemon, PAULI Scalichii de Lika, Comitis Hunnorum, etc.⁵

PHILOMUSUS. Magnum illud ingenium Parmenidis aemulatur Empedocles, et Xenophanis carminibus canit

⁴ Uvodni tekst u K: potpuno je preformuliran, v. Dodani tekstovi II.

⁵ U K: nedostaje naslov..

futura: Heraclides Ponticus, Platonis, Speusippi, Aristotelis, Pithagoreorumque industria mundum ipsum gubernat. Ego vero infelix Metrodorum Chium prope triennium audio, sperans cognitionem altissimarum rerum ex eo adipisci: sed
5 nil minus video. Pergam igitur ad Therapeutas, quod genus hominum ex Philone olim audivi semper in contemplatione divinitatis esse occupatum, ordinem habens tendentem ad felicitatem perfectissimam: cui vitae instituto qui se addicunt, non ex more, aut rogati id faciunt, sed amore correpti rerum
10 coelestium, et quasi furore divino perciti, donec ad contemplationem illam desideratissimam perveniant. Itaque eo me conferam, et recta Epistemonam inquiram, quem aiunt nemini addictum, universarum rerum esse professorem: eum hoc tempore spaciari in horto consuevisse
15 intelexi. videbo, accedam propius, per rimas saepimenti considerabo num ibi sit. At est sane, licet me non noscat: tamen virum huius instituti non arbitror talem esse, ad quem difficilis sit aditus, et qui peregrinos non nisi benigniter excipiat. Itaque pulsabo. EPISTEMON. Quis nam
20 pulsas, praeter omnem consuetudinem, fores? Profecto advena mihi esse videtur.⁶ sed quis es? PHIL. Sum Philomusus nomine, in schola Orphica educatus. EPIST. Ingredere, quid cupis? PHIL. Tuam famam in Latio atque Athenis celebrari summopere scias, quod in universa rerum
25 contemplatione non sis mediocriter versatus. Item hoc Therapeuticum genus a multis probatur, et a doctissimis quibusque nostrae scholae summis laudibus extollitur. ideo veni ad te, si dignum me existimares, qui reciperer in numerum tuorum collegarum. EPIST. Apud nos non est
30 respectus personarum. omnes recipimus, quibus nostrum institutum placet. At iis placere debet, qui amore corripiuntur rerum coelestium. PHIL. Non est alia causa,

⁶ Umetnuto u K: forte ad institutum nostrum paratus

quae me ad vestrum emporium compulit, quam desiderium
flagrans contemplandi otium. Audivi enim hactenus ex
Parmenide Empedocleum philosophandi modum, atque
Xenophanis concentus, Heraclidem Ponticum, Peripateticos
5 et Academicos. ultimo, Metrodoro Chio meam dedicaveram
operam: sed magnam iacturam in eo contemplandi otio,
plane voluptati dedito, Epicuraeorum more cum
persensissem, forte mihi hoc institutum Philo vestri
observantissimus narravit: quo audito, omni mora postposita
10 huc me contuli. EPIST. Novi Philonem probe, Iudaeum illum:
is quoque unus e consortio nostro est, Athenas missus, et
Alexandriam, ad conquirendos vetustos codices, quibus se
penitus dedito. Itaque eo gratior mihi es, quod sua
persuasione huc deveneris. Scio enim, Philonem neminem
15 hortari ad hoc genus vitae, nisi eruditum. Quare idem mihi
de te persuadeo. PHIL. Vidi quasi omnium philosophiam,
praeter vestram. sed multa evanuerunt, dum Metrodorii Chii
lectionibus essem inescatus. Porro si necessaria est
Philosophia ad consecutionem vestri instituti, repetenda erit.
20 EPIST. Philosophiae mysteria nostro proposito plurimum
conducunt. sunt enim a Deo hominibus infusa: quae etsi
non patefaciant aperte Dei cultum et reverentiam, tamen a
longinquo demonstrant. Mens enim hominis est ad
imaginem Dei: sed in magna distantia, quandoquidem
25 sensibile hoc corpusculum inhabitet. Quae autem sunt sensui
obnoxia, a longe vident ea quae intellectuali puritate sunt
praedita: et semper magis ac magis appropinquant, dum
mentem a sensibilibus abstrahant. Nam per haec visibilia,
in invisibilium amorem rapimur. Quo fit, ut philosophia
30 ipsa, donum singulare Dei opt.[imi] max.[imi] valde sit
necessaria ad veram cognitionem divinorum mysteriorum,
his praesertim qui originem a lacte trahunt, solidi cibi
expertes. ii enim, per infusionem momentaneam recipiunt

habitus: illi vero, per saepe iteratos actus, quibus primum
omnium necessaria est Philosophica institutio, qua
assuefiant, in his naturalibus, conspectus entium in ipso
intellectu formare, ex sensibilibus insensibilia facere, per
5 abstractionem obiectorum singularia universalia reddere,
tandem universales conceptus operationibus intellectus
accomodare, appraehendendo simplicia, dividendo, et
componendo, atque discurrendo. Quippe per tales iteratos
actus, aptiora redduntur humana ingenia ad res divinas:
10 quia intellectus hac ratione adeo redditur universalis, ut
quasi aequetur divinis. Unde prima principia intellectus,
quae cum ipsomet surgunt, dicuntur receptacula adaequata
divinae sublimitatis. Tum enim non per abstractionem
formatur cognitio, sed per suam ipsiusmet substantiam, et
15 concreatum medium, ad differentiam primi intellectus. Sic
vides, qua ratione Philosophia ipsa maxime requiratur ad
divinarum rerum solidam cognitionem. PHIL. Mi
Epistemon, audivi te animo attentissimo, adeoque reffectus
sum tua prudentia et sublimium contemplatione, ut vix dici
20 queat. Ostendisti enim brevibus, qua ratione ascendendum
sit ad res altas et arcanas, quas olim occulte admodum
traditas audivi. Edocuisti quoque, Philosophiam esse velut
scalam sapientiae, qua iuvamur ad cognitionem divinorum
mysteriorum consequendam. Licet tamen non videaris
25 dubitare me in hoc genere versatum, sed eorum fere
obliterarum apud me esse textum cognoscas. Ideo ut coepisti
perge te enim intelligo omnia ad unguem et Philosophorum
et Theologorum arcana tenere: te mihi praeterea ducem a
Deo concessum, aperte depraehendo. EPIST. Accedamus
30 itaque primum ad Philosophica, tandem ad Theologica ipsa
deveniemus. Sed antequam id fiat, vellem ex te denuo
cognoscere, quibus nam scientiis operam navasses. PHIL.
Graecorum institutione hactenus potissimum utebar. Vidi

quaedam apud Persas et Arabes. audivi Parmenidem,
Empedoclem, Heraclidem Ponticum, Platonem,
Aristotelem, Speusippum, et Pythagoreorum dogmata:
degustavi quoque Eudoxi et Callippi mathematica, vidi
5 quaedam et Ptolemaei sed vereor ut umbra horum saltem
apud me remanserit. Rem igitur mihi profecto longe
gratissimam factururus es, si diligenter ea in memoriam
revocaveris, quae indefesso olim labore et sedulo adeptus
eram. EPIST. Gaudeo te in eo genere operam collocasse: ac
10 priora quidem, quae enumerasti, plurimum sapiunt Orphei
contemplationem: posteriora vero, communem modum
philosophandi concernunt. PHIL. Ita sane est, ut dicis. Sed
Hippocratis quoque atque Galeni principia me degustasse,
non ignores. EPIST. Eo gratius mihi erit. nam minori labore
15 ad calcem perveniemus. Nihil enim aliud institui, prae-
terquam tuo desiderio satisfacere, si qua ratione potero. sed
ad ea veniamus, quae iure prius tractanda sunt. PHIL. Esto,
me siquidem plurimum delectant. Quare, si placet, ordine
ab Orphica contemplatione. EPIST. Placet, acquiescam. Et
20 cum omnis scientia ab ipsis principiis originem trahat,
primum igitur operae pretium est ea nos aggredi. PHIL. Bene
mehercle proponis, sed perge: malo enim te audire, quam
contionari rem quasi semimortuam: ac ubi dubitandi locus
dabitur, non praeteribo, ut rem eo perfectius accipiam. EPIST.
25 Iuxta finis nostri considerationem, ipsius nempe beatitudinis,
ad perfectionem valde necessaria est rerum divinarum
cognitio, et cognitionum opifices: quibus regitur tota
machina, unde philosophia priscorum sapientum, prae-
sertim autem Orphei, dependet. Opifices itaque cognitio-
30 num, apud Ammonium quinque numerantur: Mens,
Discursus, Opinio, Imaginatio, et Sensus: quae prima et
potissima principia Orphicae philosophiae dicuntur. PHIL.
Iam occurrit, mi Epistemon, quoddam arcanum, quod

plurimum conducit ad veram horum principiorum intelligentiam, et plurimarum rerum solidam cognitionem. Audivi siquidem, olim apud Orphicos magistros existens, occultam admodum rationem et originem, qui fiat, quod in

5 Peripatetica schola syllogismum asseverent orationem esse, in qua quibusdam positis, et concessis aliud quiddam ab his quae posita sunt, ex necessitate accidat, eo quod haec sunt. Ratio autem est ipsa *διάνοια*: huic enim soli relicta est syllogizandi facultas, quandoquidem nec mens, nec sensus

10 syllogizant: hic longe inferior, illa longe superior ratione. nec imaginatio ipsa, quia est statio sensus, et apparitionum inde migrantium reservatio, nec opinio: illa enim ex necessitate accidit, eo quia discursus est. EPIST. Optime, mi Philomuse, allegas. idem enim et ego intellexi. Dicam autem, ut res clarior

15 reddatur. Quod ad modum syllogizandi attinet, sunt primum considerandae positiones quaedam ex quibus aliud quiddam, ab eis quae posita sunt, de necessitate sequitur. Hae autem positiones manifeste apud Peripateticos maiore et minore extremitate constant: quare haec ratiocinandi forma ex hisce

20 cognitionum opificibus⁷ necessario pendet. Facultas itaque tota penes discursum est: aliud ab his, penes opinionem: maior extremitas atque minor, penes secundam operationem intellectus, quae est compositio et divisio: adiuncta prima simplicium, nempe apprehensione. haec enim maiorem

25 statuit, illa subsumit, inquirendo aut ipsam affirmationem, aut negationem: ac inde opinio ipsa concludit, quae semper effectum discursus consequitur. PHIL. Quid autem sensus et imaginatio faciunt? EPIST. Sunt ipsa instrumenta, seu potius media, quibus abstractio fit: a sensu enim velut

30 obiecto, abstrahitur sensibilis species: ab ipsa vero imaginatione, insensibilis et quemadmodum illa imagi-

⁷ K: hisce cognitionum opificibus

nationi per communem sensum, sic haec per phantasiam intellectui offertur: ubi primum simplicium apprehensio causatur, quam diximus esse causam maioris extremitatis, alioquin sensus non ratiocinantur, nec putandum est
5 appaerentia sensuum ratiocinari posse. Quo fit, ut omnis cognitio penes discursum causetur. PHIL. ingenium sane miror: haec enim altae considerationis sunt. Sed quoniam habes singulare Dei donum, ad res arduas et subtiles aptum, non praeter rationem mihi iucundissimus obtigisti. Dicas
10 nunc, an haec principia sint rerum, an alia. Ego siquidem apud Orphicos magistros, scientiam principiorum, nullum esse depraehendi: quia non sunt prima, cum ex aliis promanent. Praeterea opifices cognitionum mutuo conde-
pendent. Itaque oro aperias hoc arcanum, quodnam horum
15 primum principium certo nuncupari debeat. EPIST. Satis acute quaeris Philomuse: adverte igitur. Optime dixisti, scientiam esse principiorum nullum: quae siquidem verissime se habet ad mentem. Mens secundum Philoponum, principiorum primum erit: et cum principia dicantur
20 res primae, Mens nostra non erit principium sed divina potius. Quo fit, ut et Hesiodus et prisci omnes Theologi, Deos statuerint esse prima principia. Hinc est, quod cognitio creditorum supernaturalium a mente ipsa, et non a ratione pendet, quae ratiocinando errare potest: cuius terminos ipsas
25 intellectuales et divinas formas statuunt, quod sint omnium fines. PHIL. Themistius, ut recolo, principium appellat mentem nostram: terminos vero, ex quibus componuntur dignitates, maxime subiectum et praedicatum. Oro, mi Epistemon, dilue hanc controversiam. EPIST. Mens divina

est principium identificum cum suo fine: mens vero humana
est principium diversum a suo fine. Unde Philoponus de
scientia loquitur, quae ultra synderesin non descendit: nec
secundum hanc potest nisi verus intellectus, a primo vero
5 descendens.⁸ Sed Themistius de scientia loquitur, ut est
demonstratio seu habitus quidam conclusionum. Haec ab
inferiori, illa a superiori originem trahit: haec Empiricōs,
illa Theoricōs considerat, non ut a posteriori, sed ut a pri-
ori. Cum igitur Philoponus docet, mentem divinam
10 principium primum: recte finem illius intelligibiles formas
asserit. nam finis imitatur principii naturam, in quantum
natura correlativorum sinit: intelligibiles formae cum ipsa
mente convertuntur, non quidem simpliciter, nisi non tum
fuerint inesse subiecti: sed in eo cum situantur, datur
15 conversio per accidens. Pari modo mens nostra, et
demonstratio conclusionum consideratur: nam ipsa mens
consimiles habet sibi demonstrationes. Quemadmodum
enim illa est insensibilis, sic et demonstratio: ut illa verorum,
sic haec quoque: et adeo propinqua, ut supra rationem
20 componatur, mente velut iudice distribuyente cuius termino
quod suum est. PHIL. Rapuisti me Epistemon, in tertium
quasi coelum: nec scio ubi sim, prae nimia ecstasi: quae mihi
quaedam offert haud parvi momenti, dum considero, ad
hoc studium sincere complectendum requiri amplissimas
25 cogitandi et credendi vires: maximeque, ut ait Terentius, fi-
dem et taciturnitatem. Unde Pythagoras omnibus disciplinis
toto orbe haustis, primus Philosophiae creditor, rectissime
primum discipulorum suorum initium posuit, tacere: et
primum contemplativae sapientiae rudimentum, meditari

⁸ Umetnuto u K: Est enim synderesis ea pars animae, quae vitiis adversatur, et sese semper immaculatam cupit a vitio conservare, et perpetrata male continuo arguit.

condiscere, loquitari dediscere⁹. siquidem multo dignior est
Pythagorica sublimitas, quam quae pueriliter iactatis gerris,
loquitando et garriendo comprehendi possit. Dum inquam
haec tracto, ipsius Pythagorae principia mihi obviam
5 veniunt, quae sunt: infinitum, unum et numerus¹⁰. haec si
discusseris Epistemon, rem mihi aliam gratiorem vix
praestabis. Oro itaque, dic in hanc sententiam nonnulla, quo
meae contemplationi possit satisfieri. EPIST. Rem quidem
arcanam valde, et quasi vetitam auribus vulgi optas. Sed
10 paucis tibi morem geram, ut intelligas tu tantum, mirandum
Philosophi huius et divinum oraculum. Primum itaque
principium apud Pythagoram est, posse ipsum inseparatum
abesse: cui et Anaxagoras assentitur, inquiens, Quoniam
erant omnia simul: et Democritus, Erant (inquit) omnia po-
15 tentia simul in ipso esse. Secundum est, indivisibilis
essentia: Tertium est, Tetractys, in qua omnium rerum una
quaedam summa res est, et maxime principium
Pythagoricum. Hinc unum, duo, tria, quattuor, colectivo
progressu decem conficiunt: ac extra decem cum nihil sit,
20 sapientissime Pythagoras arcanorum parens, numerum
omnium rerum principium statuit. Sed adverte Philomuse
diligenter arcanum his principiis significatum senties,
nullum Philosophorum eo devenisse: imo nec Hebraeorum
legislator adeo aperte id patefecit. Ne vero prolixior sim,
25 Hebraeos nunc praeteribo, in suum locum consulto
reservans. Sed pro isto loco scias, apud nos Trinitatem ipsam
hisce principiis significari. Unum enim essentiam, Numerus
diversitatem respectuum in personis, Infinitum vero
proprietas principiorum indicat, ipsam nempe
30 aeternitatem quod haec principia non sint momentanea seu
transitoria, ut reliqui philosophi omnes somniarunt. Hisce

⁹ corr. ex: loquitari, dediscere,: K: loquitari dediscere

¹⁰ corr. ex: infinitum unum, et numerus; K: infinitum, unum et numerus

principiis scirem quoque probare, in omni re, etiam artificiali, dari aeternitatem. Sed rogo te, mi Philomuse, ne id ex me roges: ideo praevieni tuam petitionem. scio enim te nil indiscussum praetermittere: res etenim tibi non est
5 conveniens, quandoquidem ad Theologiam nondum ventum sit. PHIL. Quod si tibi videtur, libenter pareo. At non dubito, te adhuc quod occurrit dubium, discussurum. Ante tempora enim Pythagorae, vetustissimus ille Orpheus in libro Hymnorum ponit tria principia: Iovem, Iunonem,
10 et legem. quid hisce significare voluerit, si licet, dicas. EPIST. Per Iovem, intelligit principium universorum: primus enim et potentissimus est Deorum. Per Iunonem, Iovis conthoralem omnipotentem. inquit enim: Absque te nihil omnino vitae naturam agnovit, conveniens quidem
15 universis, permista supra quam pudice. Per legem, significat naturae confirmativum, seu distributionem. Haec arcana symbola nihil diversitatis habent cum Atheniensibus ambobus, Socrate Sophronisci, Platoni Aristonis: qui pro motu, sive Peripatetica privatione, sapientius contemplati,
20 agillimum activorum posuerunt Deum, dicentes tria esse principia, Deum, ideam, et materiam: quod Pythagoras occulte symbolizavit, arcanis his notis asserendo principia universorum esse, infinitum, unum, et duo. PHIL. Videris mihi aliud modo sentire, quam paulo ante, ubi Pythagoram
25 pro tertio principio tetractyn posuisse asserebas. EPIST. Superius Pythagoras numerum posuit tertium principium, sub quo et tetractys, et binarius, et ternarius comprehenditur, et colectivo processu denarius, qui est omnium rerum receptaculum et productio. Quando igitur tetractyn dicimus
30 principium, id perfecto modo intelligimus. Nam tetractys primus est numerus par compositus, qui est causa omnis perfectionis, continens et unum et duo et tria. Quod autem his tribus principiis occulte symbolizaverit Pythagoras, Deum, ideam, et materiam: factum est ratione sympathiae,

quam habet dualitas cum materia. non te latet enim,
Pythagoram omnia numeris ipsis complexum fuisse: de
quibus suo tempore, Deo volente, peculiarem tractatum
instituemus. Ideo hic quoque binario materiam ipsam
5 significavit: partim, quia materia ipsa semper se habet modo
ad aliquid: (est siquidem pura potentia, respiciens suum
actum: hic autem respectus duorum est, apte igitur binario
materia designatur) partim, quia binarius est numerus par
incompositus, sicut materia quae est incomposita: alioqui non
10 esset principium, cuius natura et proprietas id retinet, ut sit
simplex. Ultra id quoque, ipse binarius est omnino imbecillis,
quia per se nihil potest statuere. Omne enim quod est, qua
est ternario copulatur, et quaternario perficitur: ut corpora,
longitudine, latitudine, et profunditate: ut spiritus, memoria,
15 intellectu, et voluntate. perficitur¹¹ quaternario, quo ad
proportiones respectuum: ut memoria ad intellectum et
voluntatem ducta, binarium recipit: intellectus ad volun-
tatem, ternarium: voluntas ad utrumque, quaternarium
consummat. Id videtur in corporibus clarius. Longo enim,
20 lato et profundo, nascitur ipsum totum. Et in principiorum
connexione apud Peripateticos, materia, forma, et privatio,
parit in ipsa perfectione quaternarium. nisi enim quartum
hic producat, non est compositum. Itaque binarius ubique
est imbecillis, perinde ac materia. Unde constat, materiam
25 binario symbolizatam apte fuisse, ob eorum sympathiam.
PHIL. Principiis hactenus absolutis, veniamus ad principiata.
EPIST. Principiata sunt omnia entia, quae subsistunt aut
substant, quae referuntur continuo ad sua principia velut
causas, cur sint: ideas nempe, idearumque ideam. Et tribus
30 omnia constant, alia siquidem sunt corpora¹² et magni-

¹¹ K: perficitur

¹² corr. ex: opera; K: corpora

tudines, ut etiam communes philosophi, praesertim Aristoteles in lib.[ro] de Coelo, sentiunt: alia vero habitant et observant corpora et magnitudines: alia denique habitantium et custodum principatus sunt et origines, quae merito
5 Olympica tecta, ob eorum nobiles actiones, dicuntur. Nobilioribus quippe, nobiliora et altiora semper attribuuntur, complectentia superos, essentias incorporeas: divina exemplaria, et orbis huius sigilla, quorum instar omnium rerum inferiorum facies sunt factae. Quae prisci appellarunt,
10 immortales prima deos, velut principia rerum. Unde cum prima referant secunda, immortales quoque secunda Deos aptissime statuere possumus: ubi tetractyn ideam in mente divina tradentem, et fontem exemplarem, ideam traditam, et perennem naturam ideam rerum essentialem receptam
15 esse intelligimus. Hinc triplicem mundum facileprehendemus. Idea enim, Alcino teste, quo ad Deum, cognitio quidem sua: quo ad sensibilem vero mundum, exemplar: quo ad seipsam vero considerata essentia aptissime dicitur. Quo fit, ut mundum alium sensibilem, alium intelligibilem, alium
20 archetypum apposite dicamus. Primus est receptaculum omnis quantitatis molis: secundus vero, virtutis: tertius principatuum, ut paulo ante dixi. Omnes isti diversimode dicuntur receptacula. Primus circumscriptive, secundus definitive tertius non recipitur, sed recipit: et cum recipit,
25 recipitur, quia ubique est, et dicitur receptaculum repletive: ubi est primum, sempiternum, ac sufficientissimum bonum, et vera salus, qua corruptibilia incorruptibilia fiunt, temporalia aeterna, et insolubilis transitoriorum permanentia. Quapropter ipsum salvare et salvari, et ipsa salus,
30 simpliciter apud Orphicos non est aliud quam permanere et esse: alias omnis et improprie et imaginarie appellatur salus. Hinc Solon apud Herodotum Croeso sapientissime

inquit: Quemadmodum ante obitum nemo, supremaque funera debet dici beatus: ita nemo certe miser putandus, dum hanc vitam vivit: sed qui ultima die, abiecto corpore vitiis permanserit oneratus, is incipit esse miser: alius
5 quidem transitorie in Elysio campo, cui prope bona sunt, supera ut convexa revisat: alius terribiliter in Tartaro, cui sua damna sunt infinita, qui cylindris radiisque rotarum districtus pendet, ubi sedet aeternumque sedebit infelix, ac tum demum vere miser est. PHIL. De principiatis, o
10 Epistemon, disseruisti acute et breviter, dum et quid, et ubi sint ostendis, quidque in quovis mundo proprie contineatur a primo ente usque ad ultimum devenisti: tamque clare paucis rei magnitudinem complexus es, ut vix etiam multorum commentariis ita dilucide tradantur. et quod
15 maius est, cum ipsa brevitate soleat vulgus res obscuriores reddere: hic oppositum video rem nimirum vix clariorem posse reddi: imo id compendio praestitisti, quod multi tota sua philosophia praestare non potuerunt. Quid enim aliud Aristoteles et sui similes investigant, praeterquam huius
20 sensibilis mundi, in quo magnitudines corporum considerantur rationes, et ex motu ad intelligentiarum cognitionem ascensum? ad intelligibilem vero mundum vel archetypum nequaquam pervenit, ac mansit in hoc sensibili Oeconomica, Politica, Ethicaque praecepta cudendo. idem
25 ceteri quoque praestiterunt Peripatetici sapientes. tu vero brevibus omnia ista, paucis et nudis illis vocibus patefecisti: ac ultra id, supremum mundum ingressus, felicitatem conspexisti: et ad Tartara usque descendens, miseriam enarrasti. Hoc unum tamen adhuc subobscurum remansit,
30 an animarum sit transitus, necne. EPIST. Id ipsemet poteris advertere, ex duplici loco earundem post obitum. PHIL. Optime dicis, et ego inde hoc dubium sumpsi. Dicis enim, alium ex miseris in Elysio campo transitorie futurum, alium

vero terribiliter in tartaros: et plerique transitum animarum
Pythagoram in alia corpora sensisse autumant. EPIST. Ita
distinguit, mi Philomuse, Pythagoras, sapientiae fons,
exemplaria et species rerum, ut mutuo transmutari con-
5 fundive nequeant: quonam enim modo humanam essen-
tiam, quae sua est forma, communicaret bruto? ut invidi
carptores, Timon, Cratinus, Hermippus, et alii (quorum non
exigua multitudo est) de Pythagora, suis in libris plurima
mendacia scripserunt: quando et auctore seipso, ne unitas
10 quidem substantiva certi numeri secundum naturam est
unitas alterius. Quare prudentissime ait, unitates in duitate
ipsa, ad eas quae sunt in ternitate ipsa, esse inconiectiles.
Haud igitur sigillum formae humanae, quae est imago Dei,
naturam inferiorem sigillare permittitur: quod Pythagoras
15 recte persensit, ubi in sigillo Dei imaginem non circumferre¹³
docet. Imago enim Dei, quae est anima hominis, naturas alias
circumcirca nec sigillare, nec formare potest: ut Hermes
Trismegistus, Aegyptiorum doctor, in libro ad Asclepium
inquit. una enim pars simplex est, quam vocamus divinam
20 similitudinis formam, ac paulo inferius duas imagines Dei,
mundum et hominem, statuit. PHIL. Interrumpendus est
sermo, antequam pergas. Animam hominis multi hactenus
concluserunt, de potentia materiae educi: proinde quid
secundum Orphicos sentias, quaeso dicas. EPIST. Non
25 interrumpis usque adeo meum sermonem: haec enim
materia ad propositum est. Orphici autem magis credendum
esse statuunt, eam infundi ab ipso Deo: et ob id eam ante
corpus esse, non tempore, sed puritate, et naturae dignitate:
quam quidem infusionem, descensum appellant. Quo fit,
30 ut Pythagoras voluerit eorum animam solam, quorum sacra
natura, hoc est ratio, demonstrat singula divinum esse

¹³ K: imaginem nos circumferre

genus¹⁴, scilicet a Deo propagatum: cuius species nec
mutatur, nec convertitur: et generum singulorum formas
esse permanentes, licet in eadem sua forma dissimiles. Hinc,
quod animos antiqui, motus hominum et voluntates
5 dixerunt: recte unius curae ac diligentiae, consimilis
propositi, aequalis motivi, ac paris motus, et sensus eiusdem
homines, usitate appellantur unanimes. atque id a priscis
haudquaquam alienum est, ut dicatur anima esse motivum
et sensitivum in homine. Unde transanimatio (ut Capnion
10 inquit) nihil aliud est viris revera doctis, quam aequalis cura,
similis motus, et par studium alicuius hominis mortui post
aliquo tempore, in altero vel eodem reperto homine vivo.
Quapropter Pythagoram docuisse animas transire in alia
corpora, impium est affirmare, eo quod se Euphorbum prius
15 fuisse dixerit: et hic, siquidem manifestum est, non animam,
sed ipsum corpus iudicatum fuisse: perinde ac quis canem
dicat equum, qui diu alicuius equi corpus depastus esset. Et
nihilominus hoc ipsius dictum non fuit planum, sed merum
aenigma, quo arcanum quoddam illi saeculo incognitum
20 voluerit innuere: scilicet materiam primam omnium
formarum non solum capacem, sed avaram etiam esse, ac
semper desiderio motam, nulla forma satiari. PHIL. Meo
desiderio satisfactum est. Cupio nunc te redire ad ipsa
principia, et ipsum numerum (quod mihi inter principia
25 illa videtur difficillimum) declarare, ne in Arithmeticis et
mercatoriis illis numeris versari videamur. Quid igitur sit
hic divinus numerus, quidque operetur, oro enuntia. EPIST.
Sane apte quaeris. dabo operam, ut apte quoque
respondeam. Primam itaque multitudinem, binarium, et
30 primum numerum non compositum, quod ex sola unitate
una ac una coordinetur, statuunt Orphici: et cum nihil sit

¹⁴ corr. ex demonstrat singula, divinum esse genus

ante unitatem, id recte primum esse dicitur. Deinde primum
incompositum numerum, eam multitudinem verissime
nuncupamus, quae ab Arithmeticis ternarius appellatur,
diffusiva absque invidia in omnes creaturas: ac illud
5 fecundum, quod est in ea multum, multitudinis
productivum, tamquam numeri de numero: et illud
essentiale, quod est in ea, unum omnis productionis fons et
origo simul, et omnis processionis initium, et omnis
substantiae immutabilis permanentia, perpetua mente
10 intuetur ac respicit: et ita sese in seipsum retorquet, per
modum unitatis et duitatis semetipsum multiplicans,
tetractynque producens. Haec est omnium quae creata sunt,
idea. Quippe hac omnis progressio perficitur: unde oritur
Decas illa, quam appellamus decem omnium rerum genera
15 generalissima. nam Tetractys originaliter sigillatim posita, de
omnipotente potentia, ad energiae actum exiens, producit
decem: cuius dimidium loco signiferi positum, quasi in medio
exercitus, ac in eius latere dextro numerum proxime
superiorem, et in sinistro numerum proxime inferiorem,
20 quoties poterit usque ad decadem, aut ascendendo aut
descendendo, tum demum coniuncta latera semper
constituunt decem. et ultimo reducta ad unum cadunt
similiter in decem quae rursus ad viginti relata, incipiunt
denuo esse unitas, et deinceps ad omnes numeros usque ad
25 centum, ad mille, ac ultra. Hinc aptissime decem per iota
scribimus, aut per solum punctum Hebraice notamus: quae
tamen signa et Barbaris et Latinis, alioquin simplicem
repraesentant unitatem cuius Pythagoricum extat symbolum,
videlicet Unum duo: quae Zarates Pythagorae praeceptor,
30 per nomina propagationis pronuntiare consuevit, testimonio
Plutarchi Cheronensis in Timaei Psychogonia. itaque dum
Pythagoras numerum pro mentem accipit, signum plane
haud iniquum est. In corporeis enim, nihil divinius mente:
in separatis, nihil simplicius numero. Ex hac declaratione

numerorum intelligere poteris 25 canonem mysteriorum
cap.[ut] 3. ubi de mysteriis Hebraeorum agimus¹⁵. PHIL.
Restat, postquam de numero, principiatis et principiis
sermocinatus es, dicere plura de locis eorum. licet de primo
5 sufficienter dixeris, sed de secundo atque tertio aliquantulum
fuisti brevior: quia nec locus ille requirebat ampliorem et
diffusorem tractationem. nunc vero tibi datur campus: quare
paucis te expedias, oro. EPIST. Intelligo quid velis, ut nonnihil
de Aetra et mundo sensibili dicam. Aetra Stagiritae, Platoni,
10 et Socraticis, ex Pythagora, fulgor aeternitatis dicitur: ubi nec
est corpus, nec locus, neque vacuum, neque tempus, neque
senectus, neque transmutatio: sed ibi sicut entia inalterabilia
et impassibilia, optimam habentia vitam, qua toto aeone,
hoc est, aeternitate seu aevo fruuntur: cuius proprietates
15 sunt, conditio, chorus, et ordo. Quo ad primum, Mundus
totus quicquid est, purissima forma est, et Iovialis naturae,
quae immortalia et mortalia informat, et foetu specifico
cuncta utriusque mundi in suo esse conservat. Quem Salii,
Martis Gradivi sacerdotes appellarunt Lucecium, et
20 Cretenses Phosphorum¹⁶: a quo commodissime denomi-
natus est Olympus, quod totus fulgeat. in quo Iuppiter totus
praesidet, et praeest: imo totum quod est, ipse est. Praeterea
eius conditio est, receptare formas simplices, immateriales,
separatas, per se existentes, tam universales quam indi-
25 viduas. Continet siquidem omnes ideas ideatas, generum et
specierum, ceu exempla ipsa contractioribus exemplariis
imitanda, quorum exemplar signatorium consistit in mente
divina. Unde nominari recte volumus in mundo Deitatis,
exemplar absolutum: in mundo intelligibili, exemplum
30 abstractum: et in mundo sensibili, non exemplum, sed
exemplarium illud contractum, ut sigillum, figura et cera

¹⁵ K: egimus

¹⁶ K: Philosophorum

sigillata. Quo ad secundum, Chorus est secunda proprietas
a gaudio beatorum spirituum, ab infinita et immutabili
voluptate Deorum dictus, qui vernae illius habitaculi, et
cives Olympionicae, myrtea corona ovantes, ambrosia et
5 nectare divini convivii perpetuo fruuntur, ridentes risum
inextinguibile, secundum Homerum: ubi nulla daemonum
quantumvis bonorum esse potest (secundum Pythagoram,
eiusque sectatores) praesentia. PHIL. Siste gradum paulisper,
o Epistemon. Non admittis daemones in hunc medii mundi
10 chorum, etiam quantumvis bonos? ubi ergo eos collocas?
EPIST. Admittuntur quidem, mi Philomuse: sed non
inquantum daemones scientia redundantes: sed quatenus
sobria scientia daemonum non affectant proprietatem. talis
enim perfectio in superiori choro consideratur, proxima
15 primo principio: et in tantum differens, quod illud in se
omnia, haec vero non item nisi in concreatis mediis intelligit.
itaque aliud genus Eudaemonum utique admittitur. Quod
ad ultimum attinet, ea proprietas Pythagorae talis est: Si recta
ratione vixeris, male acta dolendo, et bene acta gaudento:
20 Deosque oraveris, ut opus tuum perficiant: tum exuto
corpore profectus in Aethera, eris immortalis Deus.

Porro mundum hunc, qui est aeternitatis imitator,
secundum Pythagoram, continentiam esse omnium totorum,
secundum coordinationem quae sit in eo (qui tametsi est
25 corporeus, tamen incorporea habet principia: quamvis Stoici
putaverunt ea fuisse corporea, quia spiritualia) eundem
Pythagoras et genitum, et corruptibilem sapientissime
asseruit, sed providentia et indulgentia Dei nunquam
corrumpendum. Idem corpora elementorum rotunda, prater
30 ignem, docuit, qui coni figuram refert. Colorem, inquiens,
corporis apparentiam, tempus circulum, mundi extimum:
Motum, differentiam quandam seu alteritatem in materia,
generationi et corruptioni subiecta. Docuit quoque,
necessitatem incumbere mundo: et quaedam de necessitate

fieri, quaedam ex fato, quaedam electione, quaedam a fortuna, quaedam casu: et horum causam esse humanae rationi occultam, cui et Anaxagoras astipulatur. PHIL. Ut arbitror, mysteria Orphica abunde tractasti: vellem ut
5 apprehenderes proximum philosophandi genus commune illud, nempe Platonicum seu Aristotelicum: et quoniam primae philosophiae libri videntur mihi huic scientiae Orphicae subalternati, ideo modo Peripatetico, primum omnium de sapiente, et proprietate contemplativae
10 disciplinae dicas. arbitror enim hic totam Aristotelis Metaphysicen sitam esse. EPIST. Adverte igitur, si sapientia est, quae maxime scibilia, primas causas et principia contemplatur: tum sapiens potissimum scit omnia, ut contingit: et qui sapiens non est, fit eo, quod cognitu facilia
15 teneat: necesse est, ut difficilima cognoscat, et scientiam habeat certissimam, ut circa disciplinam omnem causas assignare valeat: quam non modo principalissimam, sed et liberam maxime, ac propter se et sciendi gratia expetere oportet, in qua omnia considerantur ut sunt. Quo fit, ut
20 expertum, non artificem, certius operari, in quantum est, artifice non experto: et artificem non expertum certius cognoscere, et honorabiliorem esse diiudicet. simili modo sapienti similiorem esse expertum, quam sensum habentem: architectum, quam manu operarium: et contemplativum
25 activo. Hinc disciplinabilia sunt, quibus aliqua significare possumus, per quae usui et directioni redduntur aptiora: atque prudentia, quae futurorum videntur esse provida, quod sibi contra futura nocumenta incommodaque prospiciant. Et haec vestigium habent humanae prudentiae,
30 quae est divinae providentiae imago: sicut illa humanae sapientiae gerunt speciem, quae divinae itidem sapientiae est vestigium. Quapropter illa quaeque habent auditum et memoriam, disciplinabilia: quae sensum et memoriam, provida vocamus. Quo fit, ut ab homine in hac vita sapientia

possideri recte possit: quae cum fiat penes veritatem, ab ea impediuntur omnes, consueti falsa audire, nolentes recte docenti assentire: nec credere, nisi res sensibilis sit, aut sensibili iudicio pateat: nec concedere, nisi alligatis auribus, 5 parvis dediti, et ad res exiguas nati. Ceterum proprium maxime, et solius Metaphysicae disciplinae est, principia et causas entium, ut entia sunt, et sub entium ratione considerare: quae simpliciter quid, et substantiam contemplatur, ac ob universalem subiecti rationem universalis est: a 10 qua, ut scientia omnis suam sumit unitatem, ita universalitatem aut particularitatem, quae circa ens ipsum, atque circa omnia immobilia et per se et per accidens, omninoque separata et re et ratione existit.

De iis autem quae accidunt, quaeque raro, sed neque a 15 natura, neque intentione determinata eveniunt, nulla scientia contemplativa, neque activa, neque factiva simpliciter datur. Supremae enim, divinaeque scientiae est, omnes causas considerare: quia est disciplina principalior, et quae per unumquodque causarum genus demonstrat. Eam itaque 20 dumtaxat disciplinam Sapientiam vocandam esse, quae maxime scibilia, primas causas et prima principia contemplatur: quae si terminorum dignitates sunt, sola terminorum cognitione habita admitti debent: si vero positiones fuerint, declaratione dialectica, et inductione, similitudineque, aut 25 alia quavis persuasione sunt manifestanda. At summe unum, et summe ens, omnium rerum substantia est. Quapropter illa principia rerum, quae in punctis, superficiebus, atque corporibus ponuntur, nulla sunt: item species sive ideae, praeter sensualia singulariaque sensibilia. PHIL. Proh Deum, 30 quid ais? species et ideas destruis? ubi igitur Plato cum suis ideis? EPIST. Recte Plato, sublimis et divinis philosophus, ideas ponit. intelligit enim non hunc mundum sensibilem, sed intelligibilem potius, ubi ideae animabus omnium rerum

velut exemplaria concreata sunt: intelligit quoque mundum archetypum, quem principatum Orphici, et originem habitantium et custodum appellant. In eo enim est idea sempiterna, ad cuius similitudinem quaecunque sunt in esse
5 subiecti, creata sunt. Aristoteles vero, ideas tales in sensibili mundo negat: quandoquidem ultra motum primi mobilis et planetarum non penetraverit. quo mediante, intelligentiarum quoque numerum declarat. Si autem penitus introspexeris Platonem et Aristotelem, deprehendes
10 utrumque bene sensisse. Id enim quod Aristoteles summe unum et summe ens appellat, possumus nos ideam ipsam secundum Platonem nuncupare. uterque enim significat aeternam illam Dei mentem, causam omnium rerum. Quod autem Aristoteles ideam ipsam extra singularia neget, fit eo
15 quia ideas nisi per abstractionem fieri arbitratus est: talis sane non est principium rerum. Plato vero non ideam abstractam, sed nec quae vere cognosci potest, menti aeternae consimilem, principium rerum ponit. PHIL. Sane illa eadem ratio mihi satis probatur: et miror multos pertinaciter
20 defendere, opiniones istas dissidere cum satis concordent, si vel mediocriter fuerint discussae. Sed redeas ad entis declarationem. EPIST. Inter ea quae subsistunt, sive ab altero tanquam efficiente, sive in altero tanquam subiecto, sive sub altero, sive ex altero, per alterum, et alterius gratia, per
25 fectissime sufficientissimeque sine indigentia et dependentia subsistit: et maxime est ens, cuius subsistendi modum nulla alia entia pertingunt, sed citra deficiunt. Ens ergo in quantum est, solum est subiectum Metaphysicae considerationis, potius substantialis quam accidentalis. hoc enim illius
30 cognitionem consequitur. Quare ad cognitionem entis sufficit cognoscere substantiam. PHIL. Sufficit sane, sed ante quam habeas cognitionem substantiae, oportet totam

philosophiam, hoc est, singulas partes eiusdem, percognitas
et in promptu habere. Substantia enim, qua devenimus in
cognitionem entis, in quantum ens, consideratur in
quantum substantia, quae est omnium substantiarum caput,
5 a qua tota philosophia originem trahit. Sive enim
contemplativam, sive activam sive communem ingrediaris
philosophandi modum radices huius substantiae ubique
invenies. Contemplativa siquidem aut res considerat
materiae concretas, aut a materia penitus abstractas: aut
10 medias quasdam re coniunctas, intellectione distractas,
easque vel substantias vel accidentia. Rursus haec, aut qua
multitudo sunt, aut qua magnitudo. illa ut absoluta, ut
relata: haec ut manens, ut mobilis. Unde velut stemmate
naturalis et prima philosophia, tum quae de anima
15 pertractat: et Mathematicae quattuor, seu doctrinales,
Arithmetica, Musica, Geometria, et Sphaerica. cum suis illis
quasi pedisequis, Calculatoria, Geodesia, Canonice, Astrologia,
Optica, et Mechanica nascitur. Activa mores expendit,
aut singulorum, aut familiae, aut civitatis: unde quasi
20 trigeminus partus, moralem, dispensativam, civilemque
protulit. Rationalis aut iudicat¹⁷ aut narrat, aut demonstrat,
aut suadet, aut oblectat. unde Grammatica, Historia,
Dialectica, Rhetorica, et Poetica emerserunt. Communis, aut
circa ea versatur, quae communiter insunt rebus: aut circa
25 ea quae videntur inesse, nec insunt. Inesse videntur, nec
insunt, inane et infinitum. Insunt autem vel principia, vel
quae principiis annexa, vel quae de principiis exorta.
Principia sunt, aut causae, aut concausae. Causae, aut
efficiens, aut finalis. Concausae, vel materiales, vel formales.
30 Causis tamen exemplariam Plato, concausis officialem
adiunxit. Principiis annexa, motus, locus, tempus, et con-
tinuum. De principiis orta, simplicia, et composita.

¹⁷ K: indicat

Simplicia, vel sempiterna, ut caelum: vel corruptibilia, ut
elementa. Composita, vel imperfecta, vel perfecta.
Imperfecta, quae gignuntur in sublimi. Rursus perfecta, vel
inanima, ut metalla: vel animata, quae aut vegetabilia, aut
5 sensibilia, aut horum media. Vegetabilia, ut plantae, quae
aut herbae, aut frutices, aut arbores. Sensibilia, ut animalia,
quae vel rationalia, ut homo: vel ratione carentia, ut bruta.
Media sunt, quae Graeci ζώοφύτα vocant. Haec omnia
tractare incumbit, Epistemon, si ad veram substantiae
10 cognitionem pervenire cupis. Licet quaedam sint, quae magis
ad ipsa accidentia declinant: nihilominus substantias aut
omnes res esse dices: aut si distinctas, utique scire oportebit,
a quibus distinguantur. Sic tandem utriusque cognitio
requiritur, perinde ac dulcis et amari. Sive igitur accidentia
15 sint, sive substantiae, utrunque cognoscere oportebit,
principaliter tamen substantiam. EPIST. Discursus iste mihi
placuit, quem olim quasi ad verbum apud Heraclidem vidi:
et hisce temporibus apud Politianum, verbis quibusdam
immutatum, eoque fuit gratior. Quapropter parebo libenter,
20 et dicam ordine paucis, quae nostro proposito convenire
videbuntur: tu vero cum in hac parte sapientiae tempus
aliquantum contriveris, advertes, ne quid praetermittatur.
Itaque de prima Philosophia, quae Deum, mentesque cor-
pore seiunctas, ac multiplicia doctrinarum omnium
25 principia (quae vocamus Axiomata, sed naturae vestigiis
indagata) complectitur, quae etiam nobis de substantia
tractationem peperit, satis sit dictum: ad reliquum genus
Philosophiae veniam. Itaque Philosophia, secundum
Platonem, est mortis meditatio, et scientia rerum huma-
narum atque divinarum. Eius subiectum est, omne id quod
30 in hominis scientiam, sive corporeum, sive incorporeum sit,
cadii. Finis vero, ipsa notitia est. Hanc secundum Platonem
in activam et contemplativam secamus, tum quae de rerum
in intelligentiam cadentium natura disserit, tum quae circa

magnitudines versatur. Postremo, quae circa corporis naturalis affectationes ad vires attinet. Huius subiectum est, corpus naturale. Finis, propositi cuiusque corporis causas ac principia quaerere, earumque reddere posse rationem, nisi rei nondum investigatae ignorantia impediat. Hinc sapienter a Platone in Alcibiade, et ab Aristotele in Physicis, ordo quo ad nos, et quo ad naturam, est institutus. Et initium alterum extra, alterum in rei¹⁸ compositione. illud unicum, immobile, aeternum, infinitum, incorporeum, liberum, vi sua cuncta efficiens, et omnipotens est: hoc, velut interna quaedam causa omnibus inest, quae non modo pars eorundem est, verum etiam virtus et spiritus quidam, vim illis conservandi essentiam praebet. Cetera vel artificialia, vel naturae repugnantia, vel praeter naturam dicuntur. Quod ad primum universi exordium spectat, unum est principium, Deus. Quod vero ad rerum iam effectarum frequentes actiones pertinet, principia, secundum Aristotelem, materia, forma, privatio dicuntur: et causae cur res sint. quae est ratio particularis, et propria vis rei iam effectae. haec initiis adeo subest, ut quicquid sit causa, continuo sit initium: hoc, a quo primo: illud, a quo secundo quicquam fit. Et sunt, secundum Platonem in Timaeo, et Aristotelem in Physicis, aliae propriae, aliae accidentales: hae ad ornatum, illae ad rei quiditatem referuntur, quas superius realiter et proprie in causas et concausas distribuisti. Causarum alia est a qua, alia propter quam: haec in executione, illa in perfectione consideratur.

Quae ergo ad actiones pertinent, septem generibus continentur. Horum primum est, Fatum: quod est series causarum necessario connexarum, Stoicorum sententia, qui

¹⁸ K: Et initium alterum in rei

cuncta fato fieri censent. PHIL. Audivi olim in vestro
emporio, hanc definitionem esse contra religionem ipsam.
EPIST. Verum est, si intelligatur in ea necessitas absoluta.
Sed advertas triplicem esse necessitatem: Absolutam, quae
5 a Deo est: Physicam, qua fatum regitur: et consequentiae,
unde facile potest haec Stoicorum sententia salvari. Aca-
demicorum autem et Peripateticorum verior dicitur senten-
tia, quia minus dubia: ii fatum solam naturae efficiendi vim
esse volunt, quod Plato in Timaeo sapienter stabilem Dei in
10 efficiendo rationem, praescriptumque ab eo rebus ordinem
appellat, ipsumque esse causam communem, non privatam
rei cuiusque docet. <PHIL.>^{18a} Hoc nec Dei providentiae
cuncta administrantis, nec voluntati hominis obsistit, sed
ipsa potius Dei providentia est. EPIST. Sane hanc eandem
15 viam sequitur Iamblichus, Plotinus, Proclus, Apuleius,
Plutarchus, et omnes Academici, atque Aristoteles ipse, qui
necessariam illam materiae consecutionem formam
recipientis, in qua si forma sit, necessario materia subiici
debet, ostendit. PHIL. Audivi olim in vestris scholis
20 quendam, D. Gregorium Nysenum citantem, qui horum
philosophorum discordiam tueretur, quod in Dei voluntate
vim illam necessariam quasi fatum constituent. EPIST. Non
intellexisti bene. Religio enim nostra, providentiam Dei
quidem unanimiter asseverat, qui minima quaeque secun-
25 dum Davidem providet: et esse infinitam quandam divinae
mentis potentiam, qua cuncta fiunt, conservantur, et
administrantur. Tamen Plato eam aperte in Timaeo fatetur,
quam Deo opifici tribuit, tanquam vim agendi necessariam,
distinguens: aliam propriam, quam communem appellant:
aliam Deorum iuniorum, sive intelligentiarum coelestium,

^{18a} PHIL. nedostaje u B:

virtutem terris effundentium, quam minus communem
vocat: aliam daemonum nominat, qui partem hanc mundi
inferiorem administrant: quem Iamblichus, Proclus, et
caeteri Platonici imitantur. Unde patet, qua ratione Plato
5 illud fatum constituat in Dei voluntate, quomodo idem non.
Haec patent etiam ex superiori distinctione fati: ita si bene
consideraveris, providentiam quidem in Deo deprehendes:
at fatum minime, nisi in secundo gradu¹⁹. PHIL. Hanc etiam
distinctionem, quidam contra vestram religionem esse
10 asserunt. EPIST. Dicant quicquid velint: ego tamen scio et
nos habere choros et gradus idem plane significantes, ut
sunt²⁰ Seraphin, Cherubin, etc. Sed de hac materia suo loco.
Hoc tantum dixerō, Deum in haec inferiora nil agere im-
mediate: artificialis enim productio, ad differentiam
15 naturalis semper est mediata, perinde ac illa immediata.
Quo fit, ut et necessitates aliae in his, aliae in illis modo
supradicto considerentur: et ratione horum haec interstitia
sive media recte a Philosophis ponuntur, nec contradicunt
nostrae religioni, si recte fuerint intellecta. at si praepostero
20 ordine quis interpretetur, facile adversari etiam optimum
religionis sensum, religioni concessero. Multi enim loci
contrarii in sacris litteris reperiuntur, sed revera contrarii
non sunt. Itidem hic animadvertas, et dissidentiam facile,
quam isti putant, concordabis²¹. PHIL. Quid autem
25 respondes Stoicis quibusdam, et Epicureis, qui

¹⁹ Umetnuto u K: Ac si per fatum, supremum intellexerimus fatum, a fando, id est verbo Dei, sic nuncupatum, non inepte omnia ex eo pendere, iuxta Philosophiam Symbolicam, dicemus.

²⁰ Umjesto teksta od - ego tamen do ut sunt - K: donosi izmijenjen tekst: res non multum dissidet a nostris Choris et gradibus idem plane significantibus

²¹ Dodano u K: Qua in re unum est diligenter observandum, nihil nobis adversi, sine Dei optimi maximi consilio, nihil fortuito, et casu evenire, sed omnia Divino suo numine regi administrarique, ut quemadmodum aurum atque argentum igne purgatur, ita hominum pietatis amantium animi puriores fiant rebus adversis, quibus et amor nostri, rerumque fragilium et caducarum exurit, et studia
...

providentiam prorsus negant? EPIST. Idem respondeo, quod
Tullius et Seneca, adversus eos scribentes: item Plotinus et
Alexander. Eamque Alexandri Aphrodisaei autoritate, in
Aristotelis sententiam, duodecimo primae Philosophiae
5 libro, ad lunae globum dumtaxat pertingere, non inepte
dicere poterimus. nec ideo pugnabit cum religione. nam
eodem modo haec est intelligenda difficultas, quo superius
declarata est lis, et composita, inter Aristotelem et Platonem,
de ideis. PHIL Intellexi sufficienter. sed perge ad alias causas,
10 quas per accidens appellant. EPIST. Restant Plutarchus et
Lactantius, in libro de Fortuna, ne fortunae quidem, nedum
casus nomen admitti debere, siquidem a Deo cuncta
curantur: nec quidquam a fortuna evenire, cuius causa
ignoretur, potest. At ideo, mea quidem sententia, Philo-
15 sopherum doctrina haudquamquam est destruenda. Non
video enim, quomodo Platonis, Aristotelis, et aliorum senten-
tia de fortuna, religionem offendat, quam uterque causam
per accidens esse asserunt, eorum quae praeter institutum a
nobis finem eveniunt: ac in eis tantum ponunt, quae ratione
20 utuntur, ipsam ab irrationabilibus excludentes. et hac ratione
casum distinguunt, quod hic communior eventus, ille vero
minus sit. Manifeste apparet quoque, a Deo nil per accidens
provenire: ergo nec casu, nec fortuna, nec ille simpliciter haec
curat: sic enim oriretur in religione nostra alia controversia,
25 et in nobis non liberum, sed servum potius arbitrium daretur,

pietatis, ac innocentiae mirabiliter acceduntur. Itaque Choros illos et gradus nihil aliud esse, quam media, per quae ille praepotens, et sempiternus Deus agit, cuius facta non casu, aut fortuna eveniunt, neque consilio aut opera hominum geruntur, sed providentia sua, qua afflictis, et violenter oppressis auxilium ferat, atque homines importunos, et nefarios, perinde ut meretur eorum improbitas ulciscatur, eaque exempla in suos adversarios edat, ut ceteros omnes a maleficio facile deterreat.

quam quidem opinionem nunc multi mordicus tenent. Scias autem, haec omnia permissive quidem a Deo provenire, sed non effici et causari: imo et eorum quorum causa est, non dicitur talis naturaliter et immediate. At haec suo loco.

5 Ceterum a natura fieri dicuntur, quae per se, naturali vi, et proprio instinctu fiunt, a qua cuncta et corporea et incorporea nascuntur, ad similitudinem artis, quae efficiendi principium in rebus humanis ingenio excogitatis nuncupatur. Ea, alia est liberalis, quod ingenio magis quam corporis viribus

10 perficitur: alia illiberalis, quod corporis ministerio potissimum utatur. Praeterea, quod voluntas hominis libera sit, quantumvis variis modis immutetur, quocumque tamen modo id fiat, semper efficiendi causa libera nominatur, sive per se agat, sive adiuvet, sive libere quidquam agat: ad quod

15 genus causae omnes hominum actiones referuntur, nisi quid forte illi ab alio coacti faciant. PHIL. Ex hac tua determinatione, primo oritur dubium, an causa fortunae ignoretur. secundo, an in eis tantum sit quae ratione utantur, et an convertatur cum casu. tertio, an a Deo aliquid per accidens

20 proveniat, et quomodo. Quod ad primum attinet, videtur mihi Plutarchi et Lactantii sententia stare. Nam contraria adimeret omnipotentiam primi actus: siquidem fierent quaedam occulta quadam vi, praeter primi entis providentiam: sequeretur tandem aliud quoddam primum ens, et sic daretur processus in infinitum. Si dicas id fieri ratione

25 nostri, sequeretur, quod non ratione primi entis: atque ita Plutarchi et Lactantii manebit sententia. Quod vero ad secundum attinet, opinor fortunam et casum, si sunt idem esse. Quod enim illa ex proposito eveniat, et raro: hic vero

30 sine proposito, item raro: non videtur consentaneum. Quippe homo pergens sine proposito, in ecstasi²² existens,

²² K: ispušteno: in

ac in ipso itinere, si thesaurum inueniat, sane non casum,
sed fortunam dices: et tamen non ex proposito id verificatur,
praesertim in eis qui nimia afficiuntur melancholia. Item, bos
in pascuis a serpente ictus, voluntate et proposito, seu potius
5 desiderio ad pascua pulsus, ut habetur in secundo modo
voluntatis, casu id evenisse dices, non fortuna: cum tamen
secundum definitionem utriusque, opposito modo istae
causae assignari debeant. Quod ad ultimum pertinet, videtur
a Deo aliquid per accidens provenire, quia per media, quae
10 non sunt de substantia Dei: ergo sunt de accidente. EPIST.
Primam dubitationem diluit haec distinctio: Alia sunt quo
ad nos, alia quo ad naturam. Hoc modo eadem sunt omnia
in natura, perinde idem in seipso. Quo ad nos vero, aut
considerando inter nos, aut respiciendo naturam: hoc modo
15 dico casum et fortunam esse a primo ente, et non in primo
ente, sicut cum considerantur absolute quo ad naturam: et
non dici causas per accidens. Sed haec causa considerata inter
nos, dicitur primum per accidens, quatenus ille eventus nobis
accidit. Causa igitur huius eventus non ignoratur ab ipsa
20 natura, sed a nobis. Atque hic est philosophorum sensus,
quem Plutarchus et Lactantius utique non bene repre-
hendunt. Non enim adimitur propterea omnipotentia Dei,
imo confirmatur potius, dum nostra ostenditur impotentia.
haec enim relative illi opponitur. occulta praeterea illa vis
25 non dicitur occulta, ratione naturae, cui omnia sunt aperta:
sed ratione nostri, inter nos consideratae. Secundum diluit
voluntatis proprietatem. haec enim proprie in solis
rationalibus²³ existit: improprie vero in brutis, et dicitur
desiderium proprie: atque in vegetabilibus, et appetitus
30 nuncupatur. Unde patet, bovis illum ictum, casu fieri. Homo
vero melancholicus inueniens thesaurum, non est

²³ corr. ex rationabilibus; K: rationalibus

melancholicus quo ad thesaurum, per amissionem
propositi: sic enim praeteriret thesaurum, nec levaret
ipsum. Licet impos mentis nonnunquam quaedam adfert
praeter intentionem, et sine proposito, maximi momenti:
5 illud tamen est fortuitum illi cui adfert, non autem furioso,
nisi potentia. Item fortuna proculdubio Philosophorum
sententia convertitur cum casu, sed non e contra. Quod ad
tertium attinet, ex prima distinctione diluitur. Quomodo
autem procedant omnia a primo ente, sic patet. Quod ad
10 prima principia attinet, sunt a Deo immediate, scilicet
materia et forma. Effectus vero consequentes sunt ab ipso
mediante natura: nihil autem est a Deo immediate tantum.
Unde patet, fortunam et casum, quatenus circa materiam
versantur, ipsa originaliter considerata, a Deo immediate
15 esse: at fortunae et casus effectus mediante natura. PHIL.
Intellexi olim, Deum ipsum, seu primum entium, nulla
ratione dici causam, quo ad materiam. Deus rerum quidem
triplex est causa: scilicet efficiens, exemplaris, et finalis, sed
nullo modo materialis. EPIST. Verum dicis, Deum non esse
20 materialem causam: nec ego id sentio, sed dicebam, Deum
esse causam immediatam ipsius materiae, et non
materialem. In Deo enim generatio et spiratio, est aeterna
emanatio. Sed effluxio per creationem, est huius temporis,
in qua consideratur creatio, quae solius Dei est, per quam
25 res de nihilo exit in esse. Item factio, per quam res exit in
esse de aliquo. Hoc modo Deus non est causa principiorum:
quia facere, est operari de aliena materia, quae in Deo non
est. Quicquid enim est suum, est proprium, et non
alienum²⁴. Ultimo est generatio, per quam de substantia res
exit in esse, et dicitur effectus consequens mediante natura.

²⁴ K: proprium et alienum

PHIL. Hactenus sufficiat de principiis et causis disseruisse:
venias ad ea quae principiis sunt annexa. EPIST. Motus,
secundum Platonem, est materiae differentia, et alteratio.
Nec repugnat Aristoteles, qui inquit: Motus est actus rei
5 potestate mobilis. Licet Simplicius et Georgius Gemistus a
Platoniorum schola dissentiant, non video tamen causam
discordiae. Dum enim secundum Platonem concludunt, mo-
tum a Dei mente, in qua ideae sunt, in materiam pervenire:
eamque non accidens, sed ens quoddam intelligibile, a
10 sensibilibus rebus diversum, et aeternitate commensurabile:
Aristotelem oppositam partem tueri defendunt. siquidem
motum dumtaxat in sensibilibus rebus, quasi non ens, quod
cogitatione comprehendatur, constituit: deinde vim ipsam
movendi, motaeque rei perpeccionem, in uno eodemque
15 subiecto, ratione tantum distinctam.

Haec cum penitus introspectio, de lana caprina dispu-
tationem esse deprehendo. Quod enim superius de ideis
dictum est, illud idem huc peroptime quadrat. Plato loquitur
de motu creationis: Aristoteles vero de motu generationis et
20 factionis. Ita nil video, in quo dissideant. Unde quidam
motum in Deo essentiam minime collocari debere, quanquam
ratione dicant, non patet. Certum siquidem est, illum motum
in Deo essentiam esse, qui otio opponitur: quandoquidem
in Deo nec otium, nec aliquod accidens assignari potest. nec
25 dubitandum est, ab eo omnes motus quantumvis particulares
proficisci. Dico autem de motibus, in quantum sunt motus,
non in quantum tales, aut tanti, etc. Unde isti male eliciunt
mutationem, a qua esse debeat alienus, quod etiam in
circulari motu videmus, non tamen a se diverso: Deus autem
30 habet motum, ut movens, non ut mobile, nisi moraliter
intelligatur. Sic culpa nostra movet Deum ad retributionem
poenae, et poenitentia delicti ad misericordiae consecutionem.

Postremo ab apparentia expressae formae in subiecto, tollere motum ab essentia divina, plane impium est: siquidem oppositum in Deo impossibile, ex superioribus manifeste apparet. Hoc itaque est primum annexum principiis, et prima proprietas entis mobilis intrinseca, quam infinitum comitatur. Quod venantur et Aristoteles et Plato certis quibusdam rationibus: ille ex magnitudinis coniunctae divisione, ex temporis continua successione, ex perpetua rerum generatione, a finiti contraria natura, ex humanae mentis intelligentia: hic in Philaebo, sub Socratis persona, ex collatione magni et parvi, quae infinita esse dixit, quatenus in his definitum sit nihil, talem excessum et defectum partem numeri appellans, in quo pari nempe sub aenigmate quodam, infinitum esse retulit, quia dualitas infinita sit additione perpetua facta, vel subtractione, cui infinitum dici magnum vel parvum: aut dualitatem nihil aliud esse, quam si continui divisione in partes aequales facta, inveniri posse indefinitum dicat. Quemadmodum ergo ille in sola magnitudine infinitum ponit, in sensibilibus potestate quadam: ita hic prorsus eodem modo sentit, et ab eo illud alterum seiungit, quod actu esse in ente illo immobili, sive idea, in Parmenide dixit: quod et Aristoteles sentit, cum primum illum motorem aeternum ac divinum inducit. PHIL. Audivi olim Pherecydem Syrum, Pythagorae magistrum, asserentem, primum omnium animos hominum esse sempiternos ideoque infinitos. Unde colligo infinitum non solum sensibilibus, verum etiam insensibilibus, quod nuncupatur infinitum essentia et actu, ac propter hoc, infinitum sensibilibus nullum esse credo: aut si est, destruit illud. EPIST. Non dubites Philomuse, et Aristotelis et Platonis sententiam veram esse: item infinitum illud

essentiae, intelligentiae et aeternitatis quoque manere. Hoc enim revera infinitum est actu, et respectu suae nobilitatis: illud vero finitum dicitur, quo ad nos, et potentia tantum, alias in hoc sensibili mundo nullum infinitum datur. licet
5 actu quoque infinitum uterque annuant, alter ex continui in aequalia divisione, alter ratione magni et parvi, quatenus in his nil definitum sit: tamen hoc infinitum actu confuso potest admitti, distincto vero nequaquam. PHIL. Hactenus disseruisti de internis passionibus, seu proprietatibus entis
10 mobilis: restat de externis tractare. EPIST. Quamvis a Thaletis Milesii temporibus, autore Plutarcho, locus ne sit aliquis vacuus, ignoraverint ad Platonis usque aetatem: postmodum tamen minuti quidam philosophi, Leucippus, Democritus et Epicurus, quorum sententiam secutus
15 Lucretius, poeta melior quam philosophus, dixit, Namque est in rebus inane: Plato vero et Aristoteles inane prorsus sustulere. De quo Plato in Timaeo disserens, ab Aristotele licet reprehendi videatur, quod locum materiam esse dixerit: si tamen recte intelligantur (Simplicio et Plutarcho in libro
20 de Philosophorum decret.[is] testibus) Aristotelem et Platonem idem sentire deprehendemus, qui et pariter vacuum tollunt, ut ex Timaeo videre licet. Ceterum quod ad tempus attinet, licet Simplicius ex eo quod uterque et Aristoteles et Plato mundum aeternum putaverunt, uterque
25 rebus sensibilibus tempus ob durationis commutationem, intelligibilibus vero ob constantem immobilemque naturam aeternitatem assignavit, eos concordare nititur: Plato tamen in Timaeo aeternitatis vim magis explicans, illam tamquam exemplar temporis refert, ac tempus una cum mundo factum, quamvis ab aeterno, asserit, quatenus ab illa profluit.
30 Sed Aristotelem mundi aeternitatem simpliciter tueri,

nemini fuerit dubium. Quo fit, ut non facile quis consensum illorum hac in parte defendat. Tandem nostrae religionis et doctorum intemerata sententia, utrique opinioni adversa esse videtur: nec enim tempus ab aeterno factum, ut Plato
5 putavit: nec omnino aeternum esse, ut docet Aristoteles, concedit: sed factum mundum simul cum tempore tenet. PHIL. Ego memini me apud Platonem legisse, aeternitatem esse durationem quandam perpetuam, et constantem²⁵ convenientemque Deo. quam sententiam, ni fallor, et
10 Gregorius Nazianzenus, Basilius et Augustinus, Doctores religionis, tenent. cui Mundus non repugnat: est enim duraturus in aeternum, ut saepius in vestro emporio disserentes audivi: si huic convenit, ergo et tempori, quia secundum vos est cum tempore factus. EPIST. Si penitus
15 rem introspexerimus, dicemus sane, tempus quidem hac ratione coaeternum mundo. At si aeternum ipsum intellexeris sine principio et fine, nulla ratione hoc propositum Philosophorum defendere poteris. Ut autem plenius intelligas praesens institutum, quattuor assignantur errores
20 circa mundi creationem. Quidam enim dicebant, mundum esse aeternum: alii, mundum quidem factum, sed habuisse materiale principium, et non esse de nihilo: alii dicebant, Deum superiores creaturas per se produxisse, sed inferiores per ministerium angelorum. alii ponebant duo principia,
25 sicut Manichaei, unum scilicet summum bonum, et aliud summe malum: dicentes incorruptibilia esse a bono principio, corruptibilia a malo. Hos omnes errores excludit Moses noster legislator, primo cum dicit בראשית, secundo בראשית, tertio אלהים, quarto את־השמים, quinto ואת־הארץ²⁶, quo

²⁵ corr. ex: instantem K: constantem

²⁶ Hebrejski slog u ovoj Skalićevoj knjizi vrlo je manjkav. Gdje je bilo jasno o kojoj se riječi u stvari radi, napisano je ovdje onako kako treba biti napisano, i to bez ikakvih posebnih napomena. Gdje je riječ ostala neidentificirana, napisano je onako kako stoji u Skalićevu tekstu i dodana je napomena.

fit, ut mundum coevum esse non negaverim. Coevae enim quattuor sunt primitivae rerum creaturae, coelum empyreum apud nos nominatum, angeli, materia mundi, et tempus. PHIL. Nunc incumbit, ut paucis mundi et creaturarum seriem dicas. EPIST. Mundi creatura apud nos triplex est: Simplex, ut elementa et coelum: incorporea, ut spiritus: composita, ut homo. Mundus similiter triplex: archetypus, hoc est, primum ens, Deus sive exemplar mundi sensibilis: Maior mundus, seu hic sensibilis: et Minor, ipse nempe homo. At Philosophorum quamvis de natura mundi opiniones sint variae, Platonis tamen atque Aristotelis in Timaeo eadem de eo sententia omnino, Simplicio atque Proclo videtur: quam et Plotinus in libro de Coelo, et Plutarchus, tuentur. Licet Plato essentiam quintam, ab hoc inferiori mundo diversam appellavit: eandem tamen materiam, easdemque qualitates, rebus aliis, sed maiori perfectione compactas et stabilitas, illi attribuit. Quo fit, ut Plato veritati propior sit Aristoteli, in eo quod eadem sit universi natura et concretio. quamquam neutra repugnet, quo ad unitatem mundi nostrae religioni. Id enim uterque variis confirmant rationibus, tum quod eius exemplar sit unum, quodque ipse ex materia universa sit factus: tum quod universum propterea dicatur, quod extra se nihil habeat. Licet quoque Aristotelis et Platonis de figura mundi diversae sint rationes, eadem tamen est sententia. Plato enim figurae rotundae effectorem ad intelligibilem causam, Aristoteles vero ad rationes in sensum magis cadentes refert.

Praeterea mundum ad exemplar animatum esse conditum, Plato in Timaeo multis rationibus probat: ac eandem esse putat internam vim motionis universi, qua sponte cuncta cientur, oriuntur, intereunt, alterantur, motu denique omni impelluntur: nec existimat similem illius animam reliquorum animalium: quapropter nec sensus illos

quinque, nec memoriam, nec incessum ei tribuit, sed internam duntaxat vim et intelligentiam, quatenus ratione et consilio cuncta producit. Cui et Aristoteles 12. Metaph.[ysico] cum de coeli motu agit, astipulatur, dum eas illi
5 partes attribuit, quae animalium proprie sunt, rursus, deorsum, sinistrum, dextrum, ex quo esse illum animatum concludit: quod Proclus, Simplicius et Plutarchus de eo testantur. Nec in alio Aristoteles differt, quam quod Plato mundo universo animam esse circumfusam vult, Aristoteles
10 vero in coelis duntaxat, eam videtur collocasse. Quare et Democriti et Epicuri sententia probanda est, qui animatum mundum esse senserunt. PHIL. Distinxisti paulo ante mundum in spiritualem, corporalem, et compositum. Vellem, quandoquidem de primo postea instituere proposueris
15 sermonem, ut ad secundum te conferres, et modo servato paucis de eo dissereres. EPIST. Mundi corporalis machina in ipso coelo et elementis consistit. Illud dividitur in crystallinum, empyreum, et firmamentum, quod continet sphaeras septem planetarum. Hi omnes coeli moventur, excepto
20 empyreo, quod quietum est. Nomine autem coeli crystallini, intelligitur illa pars materiae primae, quae secundum Philosophum formata est in duos orbis, quorum superior est Primum mobile. Natura vero elementaris quattuor sphaeras continet: quarum Prima est ignis, tria interstitia
25 recipiens: supremum, quod vocatur, igneum, medium ac infimum Olympium dictum. Secunda aër, similiter tria habens interstitia: supremum, quod vocatur aethereum, et medium, ac infimum, quod vocatur aëreum, utraque lucida et calida: media vero frigida, tenebrosa, propter ἀντιπερίστασις. Tertia
30 est, aqua: Quarta, terra. Porro in mundi ortu, ex aquis a terra secretis coelum conflatum est, Mosis sententia. Sed Plato, Aristoteles, et ceteri philosophi, coelum diversae naturae a terra, ceterisque elementis putant. Itaque revera coelum est substantia corporea. ex quattuor elementorum natura

concreta: praestantiori tamen forma quam cetera omnia
praedita, lucida, mobilis, ac demolitioni (ut universa)
subiecta: quam Hebraeorum Mechubales, quoad firma-
mentum, defusionem, extensionemque appellant: Plato vero
5 et Aristoteles soliditatem significant. PHIL. Memini me
legisse, quo ad omnes proprietates coeli, ipsum sic definiri,
tam philosophorum quam vestrae religionis sententia:
Coelum est corpus purum, natura simplicissimum, essentia
subtilissimum, incorruptibilitate solidissimum, quantitate
10 maximum, qualitate lucidum, diaphano perspicuum, materia
purissimum, figura sphaericum, situ locali supremum, ampli-
tudine creaturarum aliarum in se contentivum. Sed miror
apud Archimedem Samii Aristarchi, et apud Ciceronem
Nicetae ac Philolai sententiam, a philosophis velut inanem
15 et ridiculam explosam, cur dicant coelum stare, terram autem
moveri. quandoquidem Plato et Aristoteles, una cum
universa cohorte philosophantium, eum orbiculari motu
incitari asserant. EPIST. Hactenus, quotquot erant qui hac
de re certarunt, communiter opinionem Samii et ceterum
20 reiecerunt. Ego autem utramque sententiam veram esse
potius dicerem, quod etiam ex nostrae religionis doctrina
elicio. Aperte enim intelleximus ex superioribus coelorum
diversitatem, in quibus utrunque manifestatur. Quippe coe-
lum a motu est extraneum, beatorum spirituum habitaculum,
25 et specialiter sedes Dei apud nos nuncupatur. Sed
crystallinum est, cui proprie et specialiter convenit, quod est
motu velocissimum, ad inferiora virtutis influxivum. Eodem
modo firmamentum, cui plurimae conveniunt ex proprie-
tatibus supradictis, quod insuper est aquarum divisivum,
30 ac stellis decoratum. Unde manifeste apparet utriusque
sententia. Philolaus enim excusari poterit ratione primi coeli,
quod cum revera non moveatur, et ceterorum nullus motus
sit simpliciter sensibilis, nisi ex quibusdam, certis tamen
apparentiis et signis, ut postea dicetur. Praeterea naturaliter

nil penetrare poterat, quod est ultra firmamentum. Naturalibus igitur rationibus adiutus, ad supernaturales devenit, existimans, si coelum movetur, debet dari causa, quae erit movens. at hic ad motum se habet, sicut nauta ad navem:
5 movens igitur, aliqua ratione migrabit in mobile. Nauta enim non potest navem movere et gubernare, nisi aliquantum moveatur: quo concesso et posito, erit processus in infinitum. Ergo rationabilius est, coelum esse immobile: quod etiam nostrae religionis rationibus assequi poterit. Deum enim
10 asseveramus omnia movere, sed nulla ratione moveri. itaque consentaneum est, ut habeat sibi creatam sedem quoque immobilem, ut aequa sit proportio eius et illius. Quo fit, ut Philolaus cum suis non inepte senserit. Licet Plato, Aristoteles, et ceteri naturalibus signis acute perspexerunt motum
15 in coelo continuum, quod opponitur quieti ob nobilitatem corporis. Attamen non convenit empyreo coelo, ubi sicut non datur motus, ita nec quies, quae est privatio motus: quo fit, ut se habeat ad modum creatoris, ut dictum est. Porro terram moveri, aperte est falsum: sed condonandum illis. arbitrati
20 enim sunt circa terram motum dari, si in coelo quies ponitur. At ubi rem ultima contemplatione inspicio, dico quidem Philolaum cum suis non ex scientia, quin potius ex ipso naturae dictamine coelum stare asseverasse. Errarunt tamen in hoc, quia omnes existimaverunt stare: aut unum si
25 putarunt, pluralitate decepti sunt. Ac ideo terram potius moveri, atque inde terraemotus fieri: sed ratio terraemotus ex ista consequentia est satis frigida. PHIL. Perge oro, neque sis circa haec nimium occupatus, et decorum conventus observa. EPIST. Ignosce precor, ipsa enim me contemplatio
30 apprehenderit: ideo prolixior reddidit. Sed venio ad

ipsos orbis. Quamquam Plato et Aristoteles octo sphaeras
posuerint, recentiores tamen ob triplicem motum octavae
sphaerae, decem statuunt. Cum enim uni simplici corpori
tantum unus motus tribuatur, supra octavum duos
5 colligimus, quorum extremus ab oriente in occidentem motu
diurno cietur: nonus rapitur cum decimo, proprioque motu
contra, super linea ecliptica et polis zodiaci nititur, qui centum
annis uno gradu progreditur: et ob hoc tardus nuncupatur,
ac difficulter perceptibilis. Octavus a meridie in
10 septentrionem proprio motu volvitur: primo ob inaequalem,
et nunc tardiozem, nunc velociorem motum: tum ob
quarundam stellarum, quae fuerunt vicinae aequinoctiali,
recessum longius versus boream, et econtra: ut in extrema
cauda Cynosurae, stella Hipparchi tempore ab aequatoris po-
15 lo circiter duodecim gradus, hodie tantum quattuor gradus
inde distat: atque ob anticipationem aequinoctiorum et
solstitionum, propter intersectionis vernaе alterationem:
ultimo, ob maximam solis declinationem, quem proprie motu
accessus et recessus nuncupamus. His annectuntur septem
20 orbis planetarum, in quorum ordine, licet Plato a Ptolemaeo
discordet, quod ille supra solem lunam ponat: quia si infra
solem esset Venus et Mercurius, sentiremus ademptionem
conspectus solis: perinde in Lunae interpositione, inter solem
atque visum nostrum: tamen Ptolemaei sententia verius,
25 Solem medium esse planetarum, dicendum est. inquit enim
Regiomontanus, non esse consentaneum spatium inter
solem et lunam sine stellis, vel ex proportione distantiarum
lunae et solis, atque computatione semidiametrorum terrae.
PHIL. Ex distantia orbium et planetarum, facile apud nos
30 patet numerus eorum. Nam a terra usque ad Lunam, sunt

miliaria 15625. haec sunt 1260²⁷. a Luna usque ad Mercurium sunt miliaria 7612. et semissis. a Mercurio usque ad Venerem tantundem. a Venere usque ad Solem, sunt 24433. a Sole usque ad Martem, sunt miliaria 15625. a Marte usque ad Iovem, 6812. a Iove usque ad Saturnum, tantundem. a Saturno usque ad firmamentum, 24427. Ex his colligitur, quod a terra usque ad coelum stellatum, sunt miliaria 108959. Unde octo saltem orbis promanant. EPIST. Ita sane est, ut numerasti. Sed ob triplicem motum octavae sphaerae redundant duo orbis, qui decem pariunt. Porro et firmamentum ipsum stellis ornatum, proculdubio intelligis: quae cum illo semper moventur, materia sunt purissimae, figura sphaericae, quantitate magnae, apparentia parvae, qualitate lucidae, radorum diffusivae, rerum inferiorum generativae, a sole illuminationis receptivae. Solis autem natura est calefacere, et languidius desiccare. Est praeterea fons vitalis potentiae, sicut luna naturalis, secundum Ptolemaeum²⁸: cuius lumine calefacta semina efficaciam concipiunt, capit alimentum ex terra, et gignit fruges. Ita quoque in corporibus hominum et animalium, humores magis alit luna, sol iuvat motum ac sensum: qui etiam alium praeter diurnum habet motum, efficiens vices aestatis et hyemis, dierum spatia varians, ac temperator primae illius et rapidissimae gyrationis existens, et qui proprie motus Solis nuncupatur: qui fit, orbe solis contra primum leniter nitente, ab occasu versum orientem, sub certo circulo. quem Aristoteles obliquum, Graeci zodiacum, Latini signiferum appellant: ob cuius diversitatem Plato mundum figura χ copulatum et coagmentatum esse voluit. Ad eius cognitionem Archimedes dicitur automata motuum coelestium, videlicet integros

²⁷ U K: ispušten tekst: haec sunt 1260

²⁸ K: Ptolomaeum

orbes aptissime fabricasse, contra quorundam insultantium
sententiam: ac iuxta eos, oculis hos motus subiecisse.
Sphaera vero in qua sol motum diurnum perficit, eidem est
concentrica. Et quoniam sol in zodiaco non conficit
5 utramque medietatem aequali numero dierum, rectissime
Geometras, quasi sculperere tres partiales orbes, in tota
sphaera solis: qui etsi tales reipsa non sint, petulantia tamen
Averrois et aliorum tollenda est. Manifeste enim apparet,
planetarum diametrum alias maiorem, alias minorem cerni:
10 et nunc propiores esse terrae, nunc longius ab ea secedere.
quod non fieret, si concentrici essent. Item Geometrae tales
sculpturas non statuunt in coelo, sed erudite causas motuum
ostendunt. Itaque ostendat Averroes leges motuum
concinniores, ex quibus computatio vera institui possit.
15 PHIL. Praeter eas proprietates stellarum fixarum, alias
quoque legi. Ultra id enim quod a sole sint illuminationum
receptivae, sunt etiam tenebrarum expulsivae: quanto nox
obscurior, tanto plus sui manifestativae: in praesentia solis
sui occultativae, tempestatis et serenitatis concitativae,
20 viarum navigantium directivae: quanto coniunctiores, tanto
in communi lucidiores, sed singulae minus apparentes: ut
patet in Galaxia, claritate et quantitate differunt, et virtute.
EPIST. Solis tractatio me remorata est, alias ego quoque
easdem illas enumerassem. Sed cum tu in medium attuleris,
25 ego ad virtutem stellarum errantium redeo, et proprietatem
universalem gentium. Itaque Saturni et aliarum stellarum
vires constituuntur pro varietate aspectuum solis et lunae,
quorum aspectus constitutionem variant aëris, secundum
magis et minus, quorum totam potestatem quattuor
30 humores comprehendunt: ex quibus duo fecundi et vivifici,
per quos omnia coalescunt et roborantur: econtra duo
exitiales et detrimetosi, quibus omnia dissipantur et

interficiuntur. Tradidit enim vetustas, beneficas esse duas
stellas, Iovem et Venerem, et praeter has Lunam: Saturnum
vero et Martem tradiderunt esse maleficos: Solem autem et
Mercurium, propter communem naturam effectus in
5 utramque partem habere, et accommodare suam naturam
ad eas stellas cum quibus sunt, tanquam medios. Per
proportionem quoque, vim stellarum humidiores femineo
sexui universaliter, perinde ac calidiores masculino
congruere. Quo fit, ut convenienter Lunam et Venerem
10 femineas stellas: Solem, Saturnum, Iovem et Martem
masculinas: Mercurium vero participem utriusque naturae
statuant. et stellas hanc sexuum vim recipere a positu quem
habent ad solem, salva propria qualitate, tum dynami
sumpta a signis et cardinibus, quorum singula condistinctas
15 habere vires. Et cum prorsus non aspiciant, omnino langui-
dos et imbecilles esse Ptolemaeus docet. Haec de proprie-
tatibus planetarum, qui nonnunquam dicuntur retrogradi,
nonnunquam progressivi, nonnunquam stationarii, prout in
epicyclis suis diversimode moventur, sufficiat dixisse. Venio
20 nunc ad alteram propositi partem, nempe proprietatem
universalem gentium: quae distinguuntur cum iuxta
parallelos et angulos, tum iuxta positum ad eclipticam et
solem. Congruunt quoque in singulis terrae tractibus
propriae humorum qualitates, et inclinationes ad signa. In
25 signifero quattuor triquetrae configurationes adverti solent:
quarum prima, ex Aquilone et Africo mixta, Borrolybico
subiecta, a Iove et Marte gubernatur. Secunda est Austri-
solani, in ortu brumali, Notapelioti subiecta: regitur praeci-
pue a Venere et Saturno. Tertia, mixta ex Aquilone et Subso-
30 lano, in ortu solstitiali, subiecta Borrapelioti: regitur
praecipue a Saturno, habetque socium gubernationis Iovem.
Quarta mixta ex Austro et Africo, in occasu, brumali, subiecta
Libanoto: regitur a Marte, habetque sociam Venerem. Hinc

terra nostra²⁹ distribuitur in quadrantes quattuor,
accommodatos ad triangulorum numerum. Latitudo
dividitur per lineam maris nostri, a freto Herculano ad
sinum Issicum ducta, et deinceps ad ortum per montanum
5 dorsum, quae linea aquilonarem partem ab australi separat.
Linea vero ex Arabico sinu per Aegaeum pelagus, Pontum
et Maeotidem paludem ducta, discernit orientem et
occidentem. Ita fiunt quadrantes quattuor, iuxta trigonorum
numerum: quorum primus Celticam, secundus Asiae
10 partem australem, tertius magnae Asiae partem
aquilonarem, quartus occidentalis Aetiopiae secundum
Ptolemaeum dicitur. PHIL. Plus satis me reficis: sed liceat
et mihi quaedam dicere de planetis. Legi siquidem
aliquando quaedam huic proposito haud incommoda, dum
15 Archimedes audirem, in haec verba: Saturnus, quo ad nos,
est remotissimus: frigidus et siccus, quo ad effectum: sicut
in aliis Planetis, ex eius vicinitate Solis calor remittitur: ex
eius coniunctionem cum Iove, clarior redditur, cum
naturaliter sit pallidus. Nocivus est: et ipso dominante
20 tantam habet virtutem, ut si influat inferiora, fetus nascatur
mortificatus et debilis: plusque nocet retrocedendo, quam
procedendo. Moratur in quolibet signo 30 mensibus. ex quo
sequitur, quod cursum suum implet 30 scilicet annis. Iuppi-
ter est clarus, et quasi adinstar lactis candidus: in qualitatibus
25 est bene temperatus, quia calidus est et humidus: in
superiori parte suae absidis temperat malitiam Saturni: cum
ascenderit in circulum Saturni, contrahit pallorem, licet sit
clarus. In quolibet signo moratur per annum et ita complet
cursum suum in duodecim annis. Mars calidus est, et siccus,
30 et ideo nocivus: ex proprietatibus suis homines incitat ac
provocat ad bellandum. Ex interpositione Veneris et Iovis,
eius nocivitas reprimatur. Igneus apparet, et radiosus: in

²⁹ corr. ex: ter nostra; K: terra nostra

quolibet signo moratur quadraginta diebus. Sol dicitur
decies maior est terra: at secundum Ptolemaeum, CLX
vicibus maior est terra. Calidus et luminosus, eclipsim
patitur, communis est omnibus, nube celatur. solus per se
5 lucet, quod nulli sideri magis competit: unde et nomen
accepit. stellas illuminat: et tamen eas per praesentiam
suam, apparentia sui luminis privat. medius est planetarum:
odiosus aegris oculis, sed amabilis puris. tempora distin-
guit: locis immundis non inquinatur. testea consolidat,
10 gelida resolvit: flores aperit, fructus maturat, corpora
diaphana penetrat, non quiescit, visum refundit, vapores
elevat, hemisphaeria vicissim perlustrat appropinquans
nobis, aestatem facit: recedens vero, hyemem efficit: oculus
est mundi. In quolibet signo moratur 30 diebus et 10 horis:
15 cursum per annum facit motu proprio, sed diem perficit
motu primi mobilis. Venus est lucifer, calidus et humidus:
malitiam Martis temperat. semper comitatur solem: sed
cum praecedit, dicitur Lucifer: quando sequitur, dicitur
Vesper. colorem habet candentem et refulgentem, electro
20 similem. inter sidera plus splendet: complet cursum suum
in 348 diebus. Mercurius semper cum sole graditur,
nunquam ab eo plus 30 gradibus distans: colorem habet
radiantem: raro propter vicinitatem solis cernitur.
eloquentia sub ipso est, aquis dicitur dominari, et praeesse
25 seminibus. cursum complet 338 diebus. Luna noctem
illuminat, lumen mutuat: augmentum patitur, et detri-
mentum. infima est inter planetas: eclipsim patitur et efficit,
maculas habet, propter coniunctionem eius, quam cum
inferioribus habet. item corniculata interdum apparet: ex
30 eo quod pars eius illuminata, a nobis absconditur. item
Regina coeli appellatur: Sol enim tanquam medius pla-
netarum, participat omnes proprietates omnium, et eas ad
lunam cum lumine suo transmittit: ipsa vero luna quae-
cunque a sole sicut recipit, ita influit. Unde quia per eam

tali modo virtutes planetarum recipimus, merito Regina
coeli vocatur. His visis patet, quod quando Luna primo
incenditur, optimum est semina iacere: quia tunc virtutes
planetarum, quas inferioribus influit, incipit colligere.
5 Frigida est, et humida: solem praecedens minuitur, sed eun-
dem sequens crescit, et ideo elongatur. Accessus et recessus
maris per eam causatur. Signa autem zodiaci quolibet mense
percurrit. hactenus Archimedis verba retuli, paucis
quibusdam adiectis ex Ptolemaeo: quae ideo recensere erat
10 opportunum, quia brevius perstringi vix possunt. EPIST. Ego
ista eadem et apud Albertum ad verbum vidi: quae et ego
proposueram adducere, sed brevius et dilucidius sane non
potuissem. Ideo haec etiam si aliena sint, nostro tamen
proposito quia deserviunt, et gratissima mihi, et nostrae
15 religioni sunt acceptissima. Sed ut rem brevi filo comple-
ctaris, quid ex hoc Astronomiae et Sphaerico genere spectare
debeas, intellige. Quod coeli conversionem suspicit, ortus,
obitus, motusque siderum, axes, polos, cardines, hemi-
sphaeria, circulos, septentrionalem, solstialem, aequino-
20 ctialem, brumalem, australem, signiferum, lacteum,
meridianum, finitorem, coluros, signaque vel duodecim, vel
cum suis gestaminibus quinque et triginta: quae quibus
orientibus aut occidentibus, orientur et occidunt, quae trans-
versa, quae recta, quae vel austrina vel septentrionalia, quae
25 stellae matutinae, quae vespertinae, quae occiduales, quae
absconsae, quae recurrentes, quae stationariae, quae sit
epicyclorum, quae latitudinum, quaeve altitudinum ratio:
quae cui syncentrica, vel eccentrica, quae facies, quae
magnitudines, qui Lunae ad solem schematismi, ut
30 intermenstrua, edita, nova, cornicularis, dividua, praetu-
mida, plenaque sit toties repetita vice: quae forma terrae,
quae mundi inclinatio, quae umbrarum varietas: quae
temporum, quae dierum ratio, quot climata et zonae: qui
vocentur Antoeci, qui Perioeci, qui Antipodes: unde

etiam agricolae, gubernatores, medici, physici, ventos, imbres, aestus, pestilentia, terraemotusque praenoscant. PHIL. Ego quoque eandem Epilogi rationem olim legi apud Papponem, unde et Politianus desumpsit. Si itaque placet
5 adhuc indiscussam quandam particulam paucis audire, cum videam te quasi pertaesum, dicam ego: tu vero adverte, si bene sentiam, necne. Vidi Platonem in Timaeo de eadem materia, forma, et qualitatum concretione, ac de confuso illo elementorum in materia ordine: et Aristotelem, qui ipsa ab
10 aeterno seiuncta et distincta esse docet. et memini me legisse, ignem sub lunari globo nullum esse, sed aërem ignitum, οὐκ ἔστι πῦρ, ἀλλὰ ἀήρ πυρώδης. hunc esse secundum naturam figura pyramidalem: sicut quoad situm rotundum, aërem octedrae figurae, aquam icosedrae, et
15 terram quadratam. Haec sunt quidem initia, sed corporum concretorum tantum, contra Anaximenem et Thaletem: et quatenus virtute, ac non reipsa insunt corporibus: quorum qualitates omnino incorporeae, et nihil aliud quam accidentia quaedam naturalia esse dicuntur. Quapropter
20 secundum Albertum, ignis proprietas est consumere, incinerare, ac in similitudinem suam sibi appropinquantia connectere. Motum facit de centro ad circumferentiam: ardet et lucet in materia aliena, sed non in sua sphaera. Inferiora reducit ad superiora, quia resolvit terrea in aquosa, aquosa
25 in aerea, aerea in se. Mollificat dura, et indurat mollia: subtiliat, ut patet in resolutione glaciei: et condensat lutum. depurat, ut in auro: et corrumpit, sicut ea quae consumit: frigefacit per accidens, ut patet in aceto. Est et penetrativus, communicativus et divisivus. Item, in sphaera sua non
30 relucet, quia compactus non est: nullum enim corpus διάφανον lucet, sed potius est illuminabile. Si autem ignis in sphaera sua compactus esset, eclipsaret omnes stellas, quae supra illum sunt. Lucet vero hic apud nos propter materiam coadunatam, in qua est. Et hoc patet, quia can-

dela candelae opposita umbram facit. Aër est subtilis, mobilis, perspicuus: per inspirationem et respirationem, caloris cordis temperativus. decoratur volatilibus. locus est impressionum, mansio spirituum damnatorum: et est
5 alterabilis, subtilis, levis, atque rarus: non lucet, sicut nec aliquod corpus διάφανον, sed est illuminabilis. PHIL. Dicebas aërem proprie locum esse impressionum. id vero edissere: perutile enim erit. EPIST. Licet omnes, quantumvis diversas, ignitarum exhalationum formas, quaeque frequenter
10 cerni possunt, unam habere originis suae causam et materiam, attractuque ignis superioris in suprema regione aëris, non eo ascendentis, sed coeli motu aërem rarefactum inflamantis gigni existimemus: similiter aëreorum affectiones³⁰, secundum Astrologos, ex siderum
15 motu nasci, Plinio testante, qui cuilibet stellae varias excitandarum tempestatum vires assignat, quemadmodum terrae multas venas e quibus et fontes et flumina et putei exoriuntur, arbitramur: tamen Peripateticorum schola, impressiones ipsas radiis solaribus attrahi ex terra atque aqua,
20 tuetur: id vero aut exhalationem, aut vaporem aiunt: ex hoc nasci aqueas, ex illo igneas docent: ut cometes, quasi stella, exhalatio inflammata ex vicinitate ignis, comas luminis fundens, et significans mutationem regum, aut bella, aut pestilentias: ut corona, assus ascendens et descendens, nubes,
25 nebula, caligo, ros, pruina, pluvia, nix, grando, tonitrua, iris, glacies, ventus, subsolanus, auster, aquilo, zephyrus, turbo, terraemotus, et similes impressiones omnes recipit ipse aër. Sed redeo ad tertium elementum, ipsam nempe aquam: cuius proprietates secundum Alexandrum, ut
30 superius quoque dictum est, assignantur tales. quod super coelos elevatur, piscibus decoratur, tempestatibus subiicitur: omnes fontes et flumina ad mare continuantur, ad locum

³⁰ corr. ex: effectiones; K: affectiones

unde venerunt revertuntur. Aëri praebet informationem, volatiliū ornamentum, et vegetabiliū nutrimentum: et optime est terminabilis termino alieno, sed minime termino proprio. Corpus est διάφανον, omnibus est communis, in
5 chrySTALLUM congelatur, irim in nubibus causat, sordes purgat, hortos irrigat, febricitantes sua frigiditate et humiditate delectat, naves vehit, lumen recipit, ad suum principium recurrit, loca vacua subit, lapides cavat, ignem extinguit. olim mundum purgavit: in mari rubro populo
10 Dei cessit, de latere Christi fluxit: hanc Christus in vinum mutavit, ac de ipsa baptismi materiam ordinavit. Terra inter alia elementa est infima, nigra, magis despecta, ponderosa, rotunda, elementis aliis circumdata: mater fructuum, radix plantarum, nutrix animalium, aedificiorum fundamentum,
15 mortuorum receptaculum, machinae mundanae centrum, concludit in se infernum: frigida, sicca, opaca, corporis humani materia: servat metalla, centro tenetur, motu ex vaporibus inclusis concutitur, herbis et floribus arboribusque suis albet ac decoratur. Circa eam motu circulari
20 coelum cum sideribus volvitur, ab hominibus et iumentis calcatur. horum quaedam terrae competunt, secundum esse suum: quaedam secundum situm, quaedam secundum contemptum, quaedam secundum ornatum, quaedam secundum utilitatem. Haec quandoquidem plurimum ad
25 veram notitiam elementorum conducunt, volui ad verbum ex Alexandro recitare, ut brevitati consulerem. PHIL. Non est quod te excuses, Epistemon: saepe enim apud Plinium, aliunde etiam integra capita descripta reperies. Quid si eadem ex diversis, sicut Alexander, corrasisses? diversas
30 quidem voces, at illud idem produxisses. Sed vellem, ut de impressionibus numeratis nonnihil confabularemur. audivi enim olim Speusippum hac de re graviter disceptantem cum Pontico. EPIST. Sufficiat pro isto conventu, haec narratorie et obiter quasi attigisse: ac potius properandum est ad

altiora, unde cognoscere possis nostrae religionis scientiam. Institui enim de Philosophia peculiare libros, quos tandem lectione ipsa consequi facile poteris³¹. illud tamen praeterire nolui, nempe de Metallorum generatione esse, qui diversas
5 opiniones tueantur, cum tamen altera alteram declaret. Quod enim Plato more Pythagoreorum, metalla fusiles aquas in Timaeo nominavit: hoc Aristoteles est secutus, dum duo exhalationis genera, aridum et humectum, ad modum Platonis, qui humorem crassum et viscosum posuit,
10 existimavit. idem Theophrastus, Peripatetici, et Academici omnes sequuntur. Unde quidam dissensionem Alchymistarum colligunt, sed nulla est. Idem quippe Alchymistae sulphure, quod illi arido et sicco: idem argento vivo, quod illi humido aut viscoso, quemadmodum vino rubeo sanguinem designant. Quodque Alchymistae, deficiente sulphure alia metalla, praeter aurum, prodire asserunt, non
15 excludunt in aliis metallis: sed non sic abundare, ut in auro, docent. Nec inde reprehendendi et insani habendi sunt Chymistae, quod coelestium motuum virtutes, et siderum
20 vires peculiare metallis, et quae multum ad generationem metallorum conducant, posuerint: quandoquidem ad eorum ortum communiter non modo teporem et humiditatem terrae, sed coeli quoque temperationem necessariam esse scimus. quod patet, dum inferiora a superioribus regi
25 consideramus. Praeterea non turberis quosdam furere, ac exquisitius quid dicere velle, dum duas illas efficientes causas ab Aristotele traditas, calidum et frigidum ponunt, eisque tanquam materiam subiici siccum et humectum atque viscosum asserunt: quia per calorem siccum et aridum, et

³¹ Umetnuto u K: et inde in primis intelligere, quomodo Astrologia iudiciaria, vana sit, et Catholicae religioni repugnet. Alias Astrologia extra divinationem Astronomiae iungitur. Divinatricem vero, quam veteres Genethliologiam vocant ius tam Civile, quam Canonicum damnat: impugnat Augustinus, execratur Chrysostomos, ridet Basilius: licet multos hodie habeat amatores.

per frigus humor et viscositas designari potest. Idem prorsus
Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Plinii, et Agricolae de ortu
lapidum est sensus, cum metallis: nisi quod haec plus
humoris, illi siccitatis habeant, minimeque fundi possint:
5 illius praeterea succus in terrae venis inclusus, familiari sibi
alimento, hoc est, sicca exhalatione, ut Aristoteli placet,
augetur, aliturque. PHIL. Quandoquidem impressionum
ulteriore tractationem distulisti, proximum mihi videtur,
ut ad stirpium et animalium devenias examen. EPIST.
10 Maxime proprium stirpium, secundum Platonem, Aristo-
telem, Theophrastum et Galenum est, ut ab interna natura,
velut ab anima gubernentur, illamque habeant ceu ultimum
sui principium: ita tamen, ut anima vegetatrice duntaxat sint
praeditae, qua alantur, augeanturque. Nec Plato repre-
15 hendendus est, quod eas animalia vocare non sit veritus: iis
siquidem facultatibus, quae communes ipsis sint cum
animantibus, constant. quod et Galenus in libris de placitis
Hippocratis et Platonis sentire videtur. Iisdem quoque has
quattuor, quas animalibus facultates attribuit: nempe attrac-
20 tricem, retentricem, alteratricem, et expultricem. Unde vo-
luptatis ac doloris sensum quodammodo, in congruo ali-
mento, vel capiendo, vel incommodo expellendo, habere
videantur. PHIL. Videtur sane Aristoteles contra Platonem
non iure agere, dum non animantes, sed participes dumtaxat
25 stirpes animae asserit: et quiquid anima constat, non esse
animatum censet. EPIST. Ceterum ad naturam recte cogno-
scendam omnium animalium, praesertim perfectorum, has
omnes vires animae, aut aliquas earum, illis inditas esse
oportet: motricem, vegetatricem, altricem, auctricem, sensi-
30 tricem: quorum primam causam efficientem extitisse Deum,
non est dubitandum. Secundum vero praescriptum illud, et

vim ab eo rebus tributam, quae cum Basilio natura commode nuncupari potest. Mas autem et femina, quatenus solum semen conferunt, quod natura sive Deus fovet ac informat, potius instrumenta sunt censenda. PHIL. Non videtur mihi
5 incommoda Platonis animalium partio, quam³² in Timaeo quadripartitam ostendit. Nam Deus ad ideam mentis suae inspiciens, quattuor animalium genera produxit: Deos nempe iuniores, sive animos coelestes: volucres seu aëreos animantes: aquatiles, ac terrestres, cui non repugnat, si modo
10 congrue intelligatur, sententia in libris de Animalium generatione et Historia. EPIST. Fugienda quoque est opinio Empedoclis, et Anaximandri ceterorumque, quorum Plutarchus in libro de Philosophorum decretis copiosam facit mentionem, qui ab initio imperfecta fuisse, nec omnibus suis
15 partibus praedita asserunt. Quo fit, ut non minus detestandi sint Marcion Cerdo, Manichaei, fanaticique alii homines, in errores prolapsi, sanum et verum Platonis sensum depravantes. Principio itaque corpus hominis, praeter materiam communem elementorum, quattuor qualitibus constat: ut
20 Hippocrates, Plato, Galenus et Aristoteles testantur. ex quibus quattuor humores eiusdem plane naturae cum suis elementis, profluunt, et in corpore humano materiam agunt, ex qua idem conflatur. Unde solidiores quaedam particulae prodeunt, similes nempe, ut sunt primae portiones, ex
25 quibus membra fiunt, sicut cerebrum, nervus etc. quoniam similibus sibi qualitatum concrecioni respondent: et dissimilares, quae ex simplicib.[us] illis compositae dicuntur. Ex hisce particulis tota humani corporis moles construitur. Hinc constitutionum genera a Galeno novem asseruntur: unum
30 temperatum seu medium, in quo³³ omnes qualitates servant aequilibrium proportionis: octo intemperata, in quibus

³² corr. ex: qua; K: quam

³³ corr. ex: media in qua; K: medium in quo

unum, duove, alia antecellunt: ex quibus quattuor simplicia, scilicet calidum, humidum, etc. item quattuor composita, scilicet calidum et siccum, calidum et humidum, frigidum et siccum, frigidum et humidum. Haec constitutionum genera, 5 quomodo se habeant in humanis corporibus, licet nulli hominum sit notum, nec in aliquo inveniatur perfecta et temperata constitutio, tamen ego in eo libro quem de Sympathia et antipathia universi conscribam, quomodo id fiat, declarare enitar. PHIL. Profecto et legi et audivi: sed hunc modum 10 quem declarare es pollicitus, nullibi potui consequi. quare Rei publ.[icae] humanaeque societati rem magnam et omni laude dignam praestabis. EPIST. Addam aliquid de piscibus: ii, quo ad collationem cum terrestribus animantibus, omnes natura frigidi et humidi sunt, ob vivendi rationem, et ob loci 15 ac victus frigiditatem: atque minus habent sanguinis, quam animantia terrestria: ac corpore, propter maiorem humiditatem, qua constant, vastiore sunt, et ingenio rudiore ac hebetiore. Unde Plato in Timaeo, Pythagorae sententiam secutus, non praeter rationem ex hominum hebetissimorum 20 genere ortum habere dixit, quos praeter motum ac vim vegetatricem et altricem, quinque sensibus praeditos, ac dormire, et stridorem quasi vocem quandam edere, constat viris revera doctis: et ego in eo libro aperte ostendam, contra Aristotelem, qui in libro De respiratione, pisces respirare 25 negat, quod pulmone careant, quodque frigido admodum et exiguo sint sanguine, in quibus potissimum respirationem esse sitam vult. Nam et Plato in Timaeo, pisces respirationem, quamvis hebetiorem et exiguam, habere docet: idque per branchias fieri, Galenus lib.[er] 9. de Usu 30 partium confirmat: sicut a maioribus piscibus, ut a balaenis, per fistulam capiti adiunctam, respirationem fieri declarat. PHIL. Pulcherrimae sunt istae, et arcae valde quaestiones: sed temporis iniuria pratereundae sunt. Et ego ratione

autoritateque hac brevi, quo ad praesens, satior: donec suo tempore plura videro. Iam ad tractationem animae ut devenias, ordo poscit. EPIST. Animae vis est triplex: vegetativa, sensitiva, et rationalis. Prima, in alendo, 5 augendo, et gignendo continetur: altera, in quinque sensibus, sensu communi, phantasia, et memoria. tertia, in intellectu, qui actu dicitur, appellaturque Mens: et eo qui potestate, cuius partes opinio et *διάνοια*, quae nescio an recte cogitationis vocabulo (secundum Politianum) exprimitur. 10 Expeditio vero, inquit, in ratione voluntas, in sensibus aut iracundia est, aut libido. Nemesius autem sic in libro de Homine: Vis, inquit, animae triplex est, animalis, vitalis, naturalis. Primi generis mens, phantasia, ratiocinatio, memoria, cogitatio: tum opinio, sensusque particulares, et quicunque motus ab electione proficiscuntur. Secundum genus in respiratione continetur, et pulsibus. Tertium vero in gignendo, nutriendo, augendo, continendo, transmutando, exercendo. Fit et illa divisio de partibus corporis, ut in cerebro ratio, ira in corde, cupiditas collocetur in iecore, quod 20 virtutibus est et vitiis commune seminarium. Itaque de anima Eulogus noster quoniam diffuse tractat, hic non immorabimur, dicemus tamen obiter. PHIL. Legi eum libellum, ubi quosdam duriuscule excipis: sed non praetereas hunc locum omnino intactum. EPIST. Essentiam animae, atque naturam, diversa ratione considerarunt 25 Philosophi. Plato enim animae essentiam appellat animum intelligibilem, numerorum naturae persimilem, magnoque partium suarum concentu quasi harmonia se moventem. Eam duplici essentia affectam³⁴: una Pythagorico more individua, quam Plato intelligibilem: altera dividua, quam 30 sensilem appellat. Aristoteles vero animae essentiam *ἐντελέχεια* astruit: et Galenus animum ipsam corporis

³⁴ corr. ex effectam; K. affectam

temperationem esse, quattuor elementis certa proportione
concretam, inquit. Moderni³⁵ autem, novarum rerum
cupidi, definiunt animam esse incorpoream quandam
essentiam, vitam ac sensum, eumque perfectum, aut
5 inchoatum, animatis corporibus tribuentem. PHIL. Miror
huius aetatis indagatores ita ambitiosos, qui audeant sua
praeferre gravissimorum autorum eruditioni atque
sententiae. Quid quaeso hic novi adfert? Si dicat
universaliorum esse Platonis Aristotelisque definitione, satis
10 aperte suam ipsius ignorantiam fatebitur. nil enim deest ad
omnes animae potentias, quod abunde definitio Platonis non
contineat: imo plus quam forte nostra aetas assequi potest.
Quo fit, ut pauci, aut nulli inventi sint, qui compositionem
animae, secundum Platonem intellexissent. EPIST. Bene
15 dicis, mihi summopere places. Ego, Deo volente, in eis libris
quos de philosophia inscribam, fusius hac de re tractabo: et
peculiariter hanc compositionem animae in via Platonica
pro meo captu edisseram, non quod mihi prae aliis quidquam
arrogare videar, sed quod liceat et mihi ingenii mei vires
20 explorare, etc. Unam autem universi animam secundum
Platonem, e duplici essentia effecta a Deo, adhibita se-
ptenaria numerorum harmonia, compositorum propor-
tione, cui et Aristoteles, Themistio attestante, assentitur,
dum in unoquoque animalium unam animam videtur
25 indicare. Quo fit, ut Plutarchus ex Platonis sententia, in libro
de virtute morum, non usque adeo bene eliciat animam
unamquamque variis ex partibus compositam, et non
simplicis naturae. Siquidem in Timaeo singulas animas suis
astris, quasi vehiculis, ait impositas. unde fieret, quod
30 Galenus quoque inepte in libris de Corporis³⁶ humani
partibus, multas in eodem animalis corpore, secundum

³⁵ K: Hodie

³⁶ K: corporis

essentiam animas posuerit. Sed conceptus Philosophorum
obscuriores, et varia iudicia, huius diversitatis causam potius
dixero. Si enim quis recte et penitus introspiciat horum
sententias, concordiam omnimodam deprehendet: quod
5 nitar pro virili in libro de Sympathia et Antipathia ostendere.
PHIL. Audivi olim quosdam altercantes, Platonis
sententiam veritati repugnare, quod aeternam aequae ac
Deum animam faciat: sed si intelligant, quid sit ideatum
ideae in esse subiecti existentem et non existentem³⁷: facile
10 scient, quomodo aeterna, quomodo item non aeterna
nuncupetur. EPIST. Acute sane multa paucis complexus es.
Audivi ego quoque eandem quasi concertationem etiam
apud nostros Platonem damnantes, quod animos corporum
singulorum omnes certo quodam numero, qui nec augeatur,
15 nec minuatur, factos a Deo censuerit. At tua ratio, seu
distinctio, mi Philomuse, eodem modo horum arguit
ignaviam, qui praeter id Platonem et Origenem, de ortu
animarum ex traduce insimulant, quod et Apollinarius
episcopus tuetur: si inquam dictam distinctionem bene
20 concoxerint, repugnantiam omnem tollent. Nullum enim
horum fit, quoad esse subiecti: sed consentaneum, imo
necessarium est, ut id fiat, si sermo fuerit de ideato non
existente, in esse subiecti. talis enim conceptus et ab aeterno
est et concreatus, et ex traduce. At si de ideato in esse subiecti
25 instituitur sermocinatio, tunc est falsum et errore plenum:
quod Platonem sensisse, omnino impium est asseverare,
quod libro citato clarius exponam. PHIL. Mea distinctio ergo
multum tibi, ut audio, placuit? Gaudeo. Nam et penetrationi
convenit corporis ab anima, Ammonio astruente, quae ideo
30 non arguit commixtionem: nec inde sequitur, Ammonium
praesens negotium diligentius esse scrutatum ipso Platone.
Unde Galeni in lib.[ro] de Corporeae constitutionis et animi

³⁷ K: existentes et non existentes

morum consecutione mutua, optima est sententia, ostendens animam, sui corporis temperationem adeo sequi, ut quaedam videatur esse illius temperatio. EPIST. Sane latissime patet praesens distinctio, et multorum discordias
5 componit. Sed pergo ad membra hominis, quae secundum Platonem in Timaeo sequuntur ordinationem mundani corporis, quam et in libris Politiae invenimus: in quibus cum ea iustitia quaeretur, qua homines adversum se utuntur, ut Chalcidius³⁸ doctissimus interpres commemorat,
10 principales urbis locos, sapientissimos et prudentissimos habitare iussit: post hos, militarem, atque in armis positam iuventutem: quibus subiecit sellularios atque vulgares. sic animam quoque ordinatam asserit. Rationabilem quidem partem eius, ut sapientissimum principem, obtinere
15 tanquam totius corporis Capitolium vigorem vero, qui est iracundiae similis, ut militarem iuventutem, in cordis castris manentem: vulgare et sellularium, quod est cupiditas, seu libido, inferioribus abditum, occultatumque natura. Quare prima in cerebro, secunda in corde, tertia in
20 iecore consistit. haec vegetatrici praeficitur, ut superius dictum est, contra Aristotelem, qui in corde eam ponit: illa animali. Commune, inquit Plato, ut animalis in corde ac medietate, ut vero rationabilis in cerebro. Unde cetera quidem animantia uno utuntur, quod in corde est: at homo
25 duobus, uno in corde, altero in capite. Sensum autem, ut Plato in Timaeo, et Plutarcus de eo testatur, ponimus animae ac corporis communionem. Hunc partimur in internos ac externos. illi sunt, qui intra animam considerantur, et sola ratione intelliguntur: hi, qui per diversas corporis partes
30 editi, externas res comprehendunt, ex quibus visus et auditus principatum obtinent. PHIL. Istis quoque affectus adiungi potest, qui communi nomine πάθος nominatur: et

³⁸ K: Calcidius

est impetus animae appetitoriae, sentientis, ex imaginatione boni aut mali ortae, secundum Gregorium Nysenum, vestrae religionis virum. Quorum omnium duo capita Platoni et Aristoteli esse dicuntur, voluptas et dolor: quamvis Stoici
5 affectus a natura nobis esse negent, sed ab opinione potius probent. Voluptas autem, Platoni in Timaeo est, animi irrationalis affectio, naturae corporis congruens, sive eam deliniens suavitate aliqua: cui contrarius est Dolor, qui est affectio naturae animalis repugnans, eamque offendens.
10 Quod quidem genus affectionis, secundum Platonem ibidem, circa universum corpus et genus omnium perturbationum communes causas esse docet: cui nec Aristoteles adversatur, sicut Eustratius eius interpretis testatur. quas omnibus animantibus, quaecunque sensu imaginationeque
15 praedita sunt, insitas esse: nisi quod in homine ratione saepe cohibentur. nec aliquod animal esse posse, quod irascibili et appetitoria facultate animae praeditum non sit, quin etiam vires horum affectuum commotionesque habeat. Motionis autem praecipua instrumenta nervi motorii existunt, quibus
20 anima usa tanquam habenis, musculos chordasque movet: his deinde membra singula, atque ita corpus universum. cuius originem cordi Aristoteles tribuit, et in eodem motricem collocat qualitatem. Sed Galenus, cum ex cerebro oriri nervos, non ex corde, ut Aristoteles putavit, colligat:
25 tum movendi facultatem in eo loco poni necesse est, a quo omnes nervi ducunt originem. Et quidem, eodem Galeno autore, omnis animae vis nervis ut instrumentis utitur: quorum motorii duri sunt, sensorii vero molles: illi e posteriore cerebri ventriculo et spinae medulla, ii ex
30 anteriori enascentes. Aut igitur vim ipsam movendi in ea corporis parte constituere, aut nervos movendi vi privare necesse est. Hinc tres animalium vires: animales, naturales, et vitales nascuntur. Ipsaque instrumenta motionis sunt, spiritus primum, deinde nervi, postea muscoli, postremo

corpus universum, ut superius meminimus. Ceterum respiratio, cuius paulo ante expressam fecimus mentionem, secundum Platonem, ex continua inspirati aëris extrinsecus, expiratique intrinsecus agitatione nascitur. Cuius causa
5 efficiens est anima: adiuvens, aër externus, qui occurso exhalati spiritus e pectore inflectitur, ut inspiretur. Materia aër ipse, ex quo fit respiratio. Finis, ut calor cordis refrigeretur. Instrumenta sunt, aspera arteria, et pulmo. Cui quidem sententiae Galenus non adversatur, dum
10 respirationem, actionem quandam animae ad vitam spiritu vitali tuendam esse vult: qui duobus officiis, nempe inspirationi et respirationi, tertium, utpote expirationem adiunxit velut medium quoddam inter illa. Fit autem inspiratio, cum aër externus adducitur: quae ad respira-
15 tionem se in perpetua relatione habet, quorum halitus fuliginosus e pulmone per arteriam asperam, perque os et nares efflatur. Hinc non video, qua ratione Aristoteles Platonem reprehendat, qui pisces respirare probat: qua item ratione Galenus ascribat Platoni, reflexum aërem externum
20 causam esse motricem respirationis: cum ipse potius dicat, effluentem vim e pectore, aërem externum incitare et inflectere, ut in eius loco eo succedente fiat inspiratio. PHIL. Est etiam inter vitales animalium actiones facultas quaedam, quae palpitare cor, et arterias micare facit: huiusce
25 palpitationis causa efficiens, calor cordis ab animo excitatus, quo illud se erigens et agitans, vitam universo corpori impertit. Materia est spiritus, quo hausto cor intenditur et contrahitur. Forma, editio pulsus. Finis, cordis, atque adeo totius animati corporis temperiem dinoscere. EPIST. Recte
30 dicis. At animam, secundum communem modum docendi, esse per se spiritum quendam, sive intellectualem essentiam, ab omni corporis contagione diversam, quae corpori infusa a Deo, vires quasdam communes sortitur. Huius sedes, secundum Platonem, est in cerebro. Aristoteles vero ait, eam

per totum corpus animatum diffusam, quod ubique uti
ratione videamur: quod et Themistius testatur. Licet ex
nostrae religionis textu, in corde eam sitam esse constet: ut
Matth.[aei] 6. ubi thesaurus tuus, ibi cor tuum. Item, De
5 corde exeunt cogitationes. Item Paul.[i]1. Corinth.[iis] 2. Nec
in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus, etc. Huius
tres sunt facultates, penes quas imaginem Dei comp-
lectimur: quarum prima est intellectus sive mens, dicta
animi rationalis facultas, quae incorporea, corporeaue,
10 communia et singula intelligit, ratiocinatur, contemplatur,
et diiudicat: cuius origo sive sedes, ex Platonis sententia, in
ipsa rationalis animi sede est: et obiectum eius non est
quippiam praefinitum specialiter, sed quicquid in rerum
natura est, quod alias ens appellamus. Praeterea modus, quo
15 omnia percipit: primo speciebus sensibilibus exceptis, et
coniunctis per communem sensum, imaginatio componit,
ac discernit, quod tandem memoria amplectitur. Intelli-
gentia diiudicat et discernit: cui praesto adest rationatrix
facultas, quae diligentius cuncta considerat, causas et
20 effectus inquirit, alia ex aliis deducit, et annectit: per omnia
denique diligentissima inductione progreditur: quae recte
suo muneri intenta, nec errare potest, nec decipi. <PHIL.>³⁹
Memini te superius, secundum Aristotelem, intellectum in
agentem et patientem secasse: sed audivi quendam huius
25 aetatis virum, eam divisionem adversus religionem ipsam
esse asserentem: quoniam adeo unita est anima hominis,
ac mens sive spiritus, ut secari non possit. EPIST. Quisquis
est, qui talia somniat, ignorantiae signum producit. Quis
enim est qui negare audeat, Divinitatem non modo unitam
30 sed unam? Et tamen recipit realem diversitatem: quare ratio
illa est frigida, quae nil probat. Imo Aristotelis sententia,
quam nostri etiam Theologi observant, vera est: quod et

³⁹ Po smislu ovdje treba staviti novog sugovornika <Phil.> koji nedostaje u oba izdanja.

Themistius apposite ex Platonis sententia elicit, per eam
nimirum partem quae dicitur immortalis, agentem, et per
alteram, possibilem intellectum. Cui agens dicitur animi
rationalis facultas, qua res oblatas discernimus et consi-
5 deramus, quaque omnia vel intelligimus, vel cogitamus:
cuius officia ab Aristotele dicuntur efficere, ut res separatae
a materia, et intelligibiles actu intelligantur, a quo vere homo
rationis particeps esse dicitur. Intellectus vero patiens ab
Aristotele dicitur illa mentis facultas, in quam imagines ab
10 agente intellectu diiudicatae recipiuntur. Porro voluntas in
homine est rationalis animi appetitus, quo libere quicquid
est in nobis volumus: ut Plato, Aristoteles, et ceteri
philosophi asserunt. cuius obiectum est, quicquid ab homine
fieri potest: et indicia, laudem aut vituperationem sequi,
15 delectum actionum habere non posse: ac voluntarium omne
a principio agendi libero dicitur, et non ab eventu. Huc
electio pertinet, ut media inter intellectum et voluntatem:
et consilium, quod nascitur ex consultatione. Ceterum me-
moria, quae secundum Speusippum animae dispositio,
20 inhaerentem illi veritatem custodiens, nuncupatur: cuius
obiectum dicimus, quicquid in sensum aut imaginationem
cadit. Haec vis memorandi, et varietas, rationabilius est in
cerebro, secundum Galenum, quam in corde, ut Peripatetici
sentiunt. Hanc consequuntur communes notitiae, quae sunt
25 sententiae quaedam omnibus animis a natura ingenitae, et
promptitudo facilitasque percipiendi quascunque res
oblatas: de quibus diversae sunt philosophorum⁴⁰
sententiae. Plato enim in Menone, atque aliis locis dicit,
animas ante corpora extitisse, hasque mentis notiones ex
30 priori illa vita adeptas esse, non tunc cum nati sumus una
exortas. Aristoteles nec ante huius corporis vitam ingenitas,
nec cum corporibus concedit, sed paulatim institutione et

⁴⁰ K: Philosophorum

doctrina comparari docet. Nostrae vero aetatis Philosophi
neutram opinionem probant, quod illae notitiae, nec ante
corporum animationem mentibus insitae fuerint, nec
institutione aut doctrina comparentur, sed una cum animis
5 sint cui et Stoici astipulantur. Ego quoque amplector
postremam hanc sententiam, sed priores non improbo, si
recte intelligantur: imo idem sentire et Platonem et
Aristotelem aio, quod nostri temporis Doctores sentiunt.
quod facile patet ex ea distinctione Philomuse, quam
10 superius dedisti. Ex omnibus autem notitiis rerum duae sunt
praecipuae, e quibus, ut fontibus, universa philosophia
oritur, plurimorum sapientum testimonio. una, qua bonum
malumve discernimus natura duce: penes quam, synderesin
nostrae religionis Doctores statuunt, altera, qua verum ac
15 falsum: penes quam, conscientiam ponunt. PHIL. Naturalis
philosophiae, secundum Politianum, est quasi alumna, ipsa
Medicina, quam Theophilus, Graecus auctor, in Theoricen
Practicenque dividit. Theoricen rursus in naturae causarum,
signorumque rationes: hoc est, φυσιολογικόν, αιτιολογικόν,
20 σημειωτικόν. Item Physiologicon in elementa, humores,
complexus, particulas, potestates, officia. Sic aetiologicon
in causas praevertentes, praevias, continentes: quae
προκαταρκτική, προηγουμένη, συνεκτική vocantur.
Σημειωτικόν rursus in praesentium discerniculum,
25 futurorum praesagium, praeteritorium memoriam.
Practicen rursus salubrium dicit esse, et eorum quae curam
desiderent: alterumque υγιεινόν, alterum θεραπευτικόν
appellat. Quod quoniam in victu, medicamentis, manuque
sit, nunc διατητικόν, nunc φαρμακευτικόν, nunc χειρουργικόν,
30 vocatur. Quod autem victu curat, id aut senectutem gu-
bernat, et γηροκομικόν: aut defectus reficit, et αναληπτικόν:
aut noxam praecavet, et προφυλακτικόν appellatur. Medicos

autem veterinarii sequuntur, quos ἰππιατροῦς Graeci vocant,
iisdem quibus Medici vestigiis ingredientes: quamvis alii
quidam morbi sint in iumentis. Etenim coriginosi,
farcimosique fiunt equi, malleo, pulmunculo,
5 exungulatione, ceterisque similibus laborant: quod genus
hominem raro attingit. Si itaque placet, dicas nonnihil de
ista facultate: ego enim, licet haec dudum apud Theophilum
legi, iam tamen quasi evanuerunt rem igitur gratam mihi
facies, si obiter saltem quaedam exposueris. EPIST. Sane
10 iusta petis. De natura enim aliquid manifestum ac evidens
cognoscere, ex nulla parte aliunde contingit, quam ex
Medicina. Necessarium quippe est, ut omnis medicus de
natura sciat: et omni studio annitatur, ut cognoscat, si modo
aliquid eorum quae fieri debent recte praestare velit.
15 Quapropter apte me ad id vocas: et ne tibi deesse videar,
dicam quae tempus et occasio tulerint. Medicus in primis
singula percognita et in promptu habere debet, quomodo
se habeant ad hominem comparata: alias neque cognoscere
quae ab ipsis fiunt potest, neque recte uti. tandem oportet
20 habere cognitionem affectionum, quae nimirum homini ex
facultatibus ac potentiis, quae item ex figuris adveniunt.
Quaecunque enim flatum et revolutiones operantur in
corpore, ea in causis strepitum et sonitum facere solent:
quae insuper carnosae sunt et mollia, in talibus torpores et
25 excrescentia, velut in trucidatis, fiunt. haec manifeste
trahunt, et plena sunt attractae humiditatis: illa influentem
quidem humorem potissimum omnium suscipiunt, non
autem similiter attrahunt. Ita solidae et rotundae figurae,
nec attrahunt, nec suscipiunt: sicut spongiformes et molles,
30 quae ubi admotae maxime fuerint et adhaeserint, ebibunt,
duraque fiunt, ac augescunt humore accedente, maxime
pulmo: quae patiuntur propter figurae naturam, in via Hi-
ppocratis. Porro quae in chirurgiis per sectionem aut ustio-

nem fiunt, velocitas et tarditas aequalem laudem merentur, ceteris tamen paribus. Quemadmodum gladiolis acutis et latis, in partibus quae celerem sanguinis fluxum habent, uti dissuadetur, quod impossibile sit in his fluxum sistere, 5 ideoque oportere aiunt in talibus angustas sectiones facere: sic ad locos non periculosos, et circa quos non tenuis est sanguis, latioribus gladiolis uti oportet. Ita quippe sanguis prodierit, aliter nequaquam. Ad eundem modum culpandos summopere esse eos puto, qui iisdem ac aequalibus utuntur 10 cucurbitis. quando enim fluxus procul ab apparente carne compactus fuerit, circulum ipsius brevem esse oportet, ipsamque non ventrosam, sed prolixam, parte ad manum urgente non gravem, ne in directum trahat, et serosos humores separatos et distantes probe ad carnem attrahat. Maiore 15 autem dolore per carnem disperso, in reliquis quidem per similem cucurbitam esse oportet, sed circulum magnum, de ceteris per proportionem similiter intelligendis. Ceterum signa exquirere ac invenire telorum existentium in corpore, maxima artis et chirurgiae huc pertinentis pars 20 existit. Solus itaque qui signorum expertus est, hanc chirurgiam aggredi potest, secundum Hippocratem. PHIL. Quid autem de genituris sentis? EPIST. Genituram in utero calefactam, cum Hippocrate, spiritum habere et emittere sentimus, simul et a matre spirante, spirare, quo genitura 25 inflata pelliculam acquirit, circumtenditur quod forinsecus circum ipsam est, continuumque evadit, utpote viscosum existens: et iuxta medium geniturae, spiritui transitus extra ac intra fit pelliculam, hacque parte tenuitas pelliculae a genitura distat, et paucissimum quid de genitura inest. Ipsa 30 denique reliqua genitura⁴¹ rotunda esse debet in pellicula, et augetur a matre, sanguine in uterum descendente, pelliculamque in orbem forinsecus circumstante. quo una

⁴¹ K. geniturae

cum spiritu a parte perforata attracto congelatur. Unde
carnem fieri, et iuxta eam mediam umbilicum distare, per
quem spirat, et alimentum ac incrementum capit, non
dubitamus. PHIL. Haec ut arbitror, de certitudine Physici
5 convenientia, ac inconvenientia chirurgi, geniturae ortu
atque augmento dixisti. Nunc, si ita placet incedere,
commode perstringere poteris de Physiologia, et Physici
ambitu. EPIST. Primum inventorem medicinae Moses
Genes.[i] 1. et prudentissimus inter Hebraeos Iesus Syrach
10 cap.[ite] 38. sui libri, Deum ponunt: Graeci Apollinem,
eiusque filium Aesculapium, ea subtilitate excoluisse eam,
ut merito inter primos huius artis inventores numeratus
sit, et ob insignem medicinae peritiam in Deorum numerum
receptus claruerit: quemadmodum et Chiron centaurus
15 Thessalus, Saturni et Phyllirae filius, Achillis praeceptor et
paedagogus, ob quarundam herbarum peritiam quoque:
item Podalirius et Machaon, Aesculapii filii. Nec desunt, qui
apud Aegyptios medicinam repertam esse volunt. In Co
autem insula Hippocrates primus ceteris, quotquot fuere,
20 Medicis anteceluit: et apud Graecos primus medicinam in
artem redegit, ac fere perfecit, non secus atque ipse Apollo
invenit, et Aesculapius amplificavit. Hic in libro de
Flatib.[us] eam, adiectionem et subtractionem definit: quam
definitionem Galenus undecimo Therapeuticae methodi, et
25 aliis plerisque in locis comprobat, ipsamque medicinam 2.
cap.[ite] Artis medicae artem esse tuetur. Cumque artium
alia sit contemplatoria, alia activa, alia factiva, alia κτητική,
id est comparans nominata, Galeno teste in lib.[ro] de
Constitutione artis medicae: Medicinam ex factivarum
30 artium genere esse apparet, et earum quidem quae iam
factum opus instaurant, corriguntque, non ex illis quae
novum efficiunt.

Huius triplex est secta: Empirica, Philino Coe eiusdem
sectae principe certior: Methodica, Themisono Laodiceo

Syro brevior: rationalis, principe Hippocrate perfectior.
Itaque medicinae partes sunt quinque. alia est, in qua de
hominis natura atque constitutione disseritur, φυσιολογική.
alia, quae sanitatem tuetur, ac praecavet quo minus corpora
5 in morbos incidant, ὑγιεινή. alia, quae causas et symptomata
inquirat, αἰτιολογική. alia, quae cognitionem praeteritorum,
inspectionem praesentium, et futurorum praedictionem
continet, σημειωτική. alia, in qua medendi ratio docetur,
θεραπευτική. Haec vero rursus, alia quae victus ratione
10 morbis mederi docet, διαιτητική: alia quae medicamentis
intra et extra corpus admotis medetur, φαρμακευτική: alia
quae manibus medetur, χειρουργική.
quae in universum commode tripartita esse possunt.
primus enim ordo earum rerum est, ex quibus corpus
15 humanum compactum et constitutum est. secundus earum
est rerum, quibus corpus humanum fovetur, ut sanum
permaneat. tertius earum rerum est, quae corpus humanum
laedunt atque corrumpunt. Res autem naturales numero
septem: elementa, temperantia, humores, partes, facultates,
20 actiones, spiritus. Quorum primum, iuxta Galenum lib.[ro]
2. de Element.[is] est minima rei, quam constituit, portio:
id est quadripartitum, et quotlibet gradibus simpliciter
contentum. Unde iuxta Hippocratis assertionem, animantia
non ex qualitatibus tantum, (ut quibus sine corporibus ne
25 esse quidem licet) sed ex ipsis videlicet corporibus, quae
summas qualitates receperunt, nasci dicuntur: in quae etiam,
dum moriuntur, rursus resolvuntur. Unde elementa in
animalis constitutione non manent pura et impermixta, sed
inter se temperantur. Qualitates itaque medico maximopere
30 sunt considerandae, ut cognoscat, ex calidi et frigidi, sicci et
humidi temperatura sanitatem effici: ex horum contra
intemperaturis, morbos animalibus accidere. Unde
temperaturam nihil aliud, quam ex quattuor elementis
mixturam vocamus: nec temperaturae aequalitatem in

omnibus temperatis animalibus plantisque esse, quae ex pari
et aequa inter se contrariorum coeuntium portione constat:
sed quae tum animalis, tum plantae naturae convenit.
Istorum sunt quattuor humores, quos calidos, frigidos,
5 humidos, siccosve, tales esse non nisi potestate constat:
quorum partes aliae similes, aliae instrumentales
statuuntur. Hinc facultatum alia est Animalis, quae ex
cerebro per nervos, ceu fistulas quasdam sensum et motum
in totum corpus transmittit, ac intellectum fovet: Vitalis,
10 quae ex corde per arterias, ceu canales quosdam, vitam
universo corpori impertit: Naturalis, quae ex iecinore per
venas, omnibus corporis partibus alimoniam praebet. quam
superius quadruplicem diximus: attractricem, retentricem,
concoctricem, et expultricem.

15 Ceterum actiones sunt motus activus, qui a facultate
procedunt, quae actionum est causa: qua pereunte, nulla
unquam sequetur actio. quae a medico diligenter sunt consi-
derandae, quod ex iis corporis constitutionem dinoscere
liceat. Postremo, spiritus est substantia subtilis, aerea,
20 dilucida, ex tenuissima quaque sanguinis parte producta,
ut deferatur virtus a partibus principatum obtinentibus, ad
reliquas, et quo proprias edere actiones possint, cuius
membra ut facultatum statuuntur. et medicus spirituum
custodiae attentus esse debet, quod sine iis corpus vivere
25 nequeat, nec virium essentia consistere potest. PHIL. Istis
absolutis, quae ad physiologiam et ambitum Physici
pertinebant, opportune de rerum non naturalium numero
disserere poteris. EPIST. Nostri temporis medici res non
naturales eo vocant, quod nimirum corpus nostrum
30 necessario alterent: et nisi opportune ac salubriter
adhibeantur, sanitatem etiam destruant. tales sex sunt
numero: aër, cibus, et potus, motus et quies, somnus et
vigilia, excretio et retentio; postremo animi perturbatio.
Horum primi essentia est sita in consideratione puri, crassi,

et nebulosi. cumque ambiens aër nostrum corpus, et qui in
eo sunt spiritus, alterare omnium maxime possit: diligenter
perquirendum est, quae qualitatum in eo dominetur. Et se-
cundum Hippocratem in Epidemiis, in diuturnis morbis
5 terram mutare expedit maxime. quo fit, ut situs locorum
terrae accurata opera ab ipsis Geographis perdiscendi
necessario sint medicis, atque astrorum siderumque ortus
et occasus perspecti esse, et in promptu habendi. Circa
eorum vero quae assumuntur rationem, habenda est
10 consideratio bonitatis, mensurae, qualitatis, consuetudinis,
delectationis, ordinis, temporis, horae et aetatis: dandaque
opera, ut nunquam plus quam exigit natura ingerat: sed tam
in sanis quam in aegris expendant accurate, qualitatem
ciborum, et consuetudinem. Nam ut Hippocrates 2.
15 Aphor.[ismorum] 50. docet, quae ex longo tempore consueta
sunt, etsi deteriora sunt insuetis, minus molestare solent.
circa haec et cibi delectabiles, etiamsi parum deteriores sint,
saepe melioribus praeferendi sunt, secundum Hippocratem
2. Aphor.[ismoru] 38. et ordo rectus ciborum observandus,
20 ne praepostero ordine cibi ingerantur, ac intempestive: qui
temporibus anni, et aetatibus congruentes, accommodandi
non sine iudicio sunt. Porro quod ad motum attinet, omnis
generis exercitia intelliguntur: quibus frictio et gestatio, sub
qua equitationem et vectationem comprehendimus,
25 annumerantur. Ceterum qui sanitatis studio tenentur, ii
exercitiorum praecipuam curam habebunt (quod illorum
maxima sit commoditas) et tempus ac mensuram eorundem
non negligenter observabunt. quare otium diuturnum ac
quies immodica obsunt. Hinc de somno et vigilia respectus
30 advertendus est diligenter. Somnus quidem nihil aliud est,
quam animalium facultatum quies: cuius commoda sunt,
ciborum confectio, humorum concoctio, oblivio aegritu-
dinum animi, mentis insaniae correctio: cuius denique
tempus vespertinum magis diurno proprium est. Praeterea

decubitus quoque dexter magis convenit, cum sinistro, quam
supinus. Danda itaque est opera, et annitendum omnino,
ut neque somnus, neque vigilia modum excedant.
Evacuationum autem genera varie fiunt: nunc per venae
5 sectionem, nunc per medicamentum purgans, subinde
etiam per vomitum, scarificationem, ac cucurbitarum appo-
sitionem, inediam, et somni ab inedia repetitionem, mixtio-
nem, sputi educationem, sanguinis e naribus productionem,
mensium, haemorrhoidum, coitum, insensilemque evapo-
10 rationem, quae quidem a natura nobis etiam quiescentibus
fieri solet. Horum autem potissima sunt, quae per se fiunt.
Postremo animi perturbationes non sunt a medico conte-
mnendae, quod magna illarum vis sit, et miras in corpore
motiones excitent: id quod praeter alias, timor potissimum,
15 gaudium ira, et verecundia evidenter declarant. PHIL.
Rerum non naturalium numerum, consequitur rerum
praeter naturam numerus. EPIST. Secundum Galenum
lib.[ro] 2. Therapeuticae methodi, nominatur Affectus,
generatim sumptus pro rebus quae corpus nostrum
20 quomodolibet praeter naturam afficere possunt. Sic sane
tres sunt affectus praeter naturam: causa, quae morbum
praecedit: morbus, a quo primum vitiatum actio: symptoma,
quod morbum sequitur. Per primum affectum suapte ra-
tione, per se et primo, non laeditur actio: sed ex accidenti,
25 vel secundo, interveniente nimirum morbo. Horum, secun-
dum Galenum lib.[ro] de morbis differ.[entiis] causa du-
plex est: alia externa, sic dicta, quod extrinsecus adveniat,
nec intra corpus animalis consistat, velut frigus, aut scorpio
pungens: alia interna, quae quidem in ipso animalis cor-
30 pore consistit. Hae causae medico scrutandae summopere
sunt. Unum enim genus morborum est, quod in similaribus:
alterum, quod in instrumentariis: tertium, quod in utrisque

partibus consistit. In primo, intemperies⁴² dicitur morbosa, quae provenit, ubi qualitates primae, seu elementa ipsa a naturali symmetria commoderatione ve deflectunt. In secundo, mala constitutio seu compositio appellatur, quem
5 et morbum officialem Barbari vocant. Tertium horum solutio unitatis, seu continuitatis dicitur. Ultimo, symptomata alia circa actionum noxas, sive animalium, sive naturalium, versatur: illorum sensilium motricum et principum actionum, horum appetentium concoctionem, etc.
10 depravatam. Alia circa corpus nostri affectus visiles, olfactiles, gustatiles, tactiles: alia praeter naturam excernuntur, vel retinentur. Et id quidem aut tota substantia sunt, praeter naturam, ut haemorrhagia: vel qualitate a naturali habitu aberrant, ut mensium profluvium: vel
15 quantitate a naturali habitu recedunt, ut urinae et sudoris excretio, vel detentio. similiter febris: haec enim est calor praeter naturam, qui a corde initium sumens, per arterias et venas in universum corpus diffunditur, atque actiones eiusdem laedit, et quantumvis homo nunc quam antea
20 calidior sit, nondum tamen febricitat, nisi calor immodice auctus hominem offendat, et actionem laedat. Quare simplicium februm, cum calor praeter naturam accenditur, alia est in spiritibus, et fit ephemera, sive diaria: alia in humoribus, et fit putrida: partim intra vasa, tum ex putrefactione omnium aequabiliter, unde fit synochus putrida: tum
25 unius tantum, et sic erit continua, (si enim putrescit flava bilis, fit tertiana continua, vel ardens dicta febris: si pituita, quotidiana continua: si atra bilis, quartana continua) partim extra vasa, et fit intermittens (si enim putrescit flava bilis, fit tertiana intermittens exquisita: si pituita, aut dulcis, unde
30 quotidiana intermittens: aut vitrea, ex qua oritur ephialos: si atrabilis, quartana intermittens.) Alia in solidis, unde fit

⁴² corr. ex intem peries; K: intemperies

aut hectica, aut marasmus. haec si illi accesserit, ex omnibus febribus pessima est, quae (secundum Galenum lib.[ro]10. Ther.[apeuticae] Meth.[odi]) omnem curationem respuit. PHIL. Quasi ad finem Medicam artem deduxisti. hoc unum
5 superest ut dicas, de ea nempe parte Physicae, quae cognitionem praeteritorum, inspectionem praesentium, et futurorum praedictionem continet. EPIST. Haec pars physicae disciplinae inter ceteras potissima est, et praestantissima, quae Graecis σημειωτική nuncupatur, cum quod haec ipsa
10 morborum ac passionum corporis cognitionem suggerit (qua destitutus Physicus, nullum a corpore malum profligare potest) tum quia hac lege cuiusque partis, potissimum vero eius quae sensum effugit atque adeo cuius passiones difficillime deprehenduntur, morbos ac mala
15 promptissime dinoscant. in quo potissimum requiritur, et summopere quidem, cognitio crisisum, Latinis iudicium significans: quae in praesentia non est, nisi subita et praeceps in morbo mutatio, qua aut confestim liberantur a morbis aegri, aut magnam in melius mutationem obtinent,
20 aut statim moriuntur, aut multo deteriores evadunt. Harum prima, crisis simpliciter: secunda, crisis ἐλλιπής, id est deficiens: tertia crisis mala: quarta, ἀτελής, hoc est imperfecta et mala nuncupatur. Quo fit, ut illae mutationes quae paulatim fiunt, vel scilicet debilitata virtute, vel morbo,
25 non crises, sed simpliciter λύσεις, hoc est solutiones nuncupentur. Ad horum iudiciorum rationem in primis necessaria est quattuor morbi temporum, nempe principii, incrementi, declinationis, et potissimum vigoris cognitio: ad quod et urinae inspectio non parum conducit. De iis
30 enim quae in iecore et intra venas sunt, nullum plane nec manifestum, nec evidens signum habemus, praeterquam solam urinam. atque haec est excrementum sanguinis in cava

vena, per renes et urinarios meatus in vesicam delatum: in
cuius inspectione, consistentia, color⁴³, quantitas, et contenta
consideranda magnopere sunt. et certitudo, velut scopus in
optima urina, et quae est hominis secundum omnia
5 temperati; haec est, quae in substantia mediocris est, ac
quantitate potioni quae assumpta est respondet, colore
subbrussa et subflava, sedimento albo, levi et aequali. Ad
idem iudicium et egestio requiritur, quae in optimo gradu
mollis sit, et compacta atque cohaerens, eodem tempore,
10 quo in secunda valetudine assuevit, reddita, et quae iis quae
ingesta sunt proportione respondeat, Hippocrate auctore
necessum est. Ubi insuper pulmo aut thorax passionibus
infestatur, sputa tum potissimum considerare incumbit.
Pulsus quoque advertendus, qui est motus cordis et
15 arteriarum sensilis quo attolluntur et submittuntur. ii
sumuntur ex motionis tempore, tam sublacionis quam sub-
missionis: a quantitate sublacionis seu diastoles, a robore
virtutis, a corpore et substantia arteriae: a quantitate
infusionis seu plenitudinis arteriae, a qualitate caloris; a
20 tempore quietis, a rhythmo sive proportione temporis ad
tempus, a progressu aequalitatis et inaequalitatis, ab ordine
et ordinatione. PHIL. Hactenus, ut ego quidem advertere
potui, communem philosophiam tractasti, et contempla-
tivam, quoad primam Philosophiam: tum quae de anima
25 pertractat, et Mathematicen, quoad Astronomica et Theorica
principia. Itaque restat, ut de ceteris Mathematicae do-
ctrinalibus, una cum Sphaericae pedissequis, breviter dicas:
tandem ad activam doctrinarum partem te libere conferre
poteris. EPIST. Prima doctrialium est Arithmetica, quae se-
30 cundum Politianum, numerum tractat, aut seorsim quemque

⁴³ corr. ex calor; K: color

spectans, aut ad alium referens. Ille par est, et impar. Par, aut pariter par, aut pariter impar, aut impariter par. Itemque aut superfluus, aut diminutus, aut perfectus. Impar, aut primus et compositus, aut secundus et compositus, aut per
5 se secundus et compositus ad alium. Primus et incompositus, aut ad alium relatus, aut aequalis, aut inaequalis. Hic aut maior aut minor. Et maior, aut simplex, aut compositus. Simplex, aut multiplex aut superparticularis, aut superpartiens. Compositus, aut multiplex superparticularis, aut multiplex superpartiens. Minor maiori
10 subiugalis aequae dividitur, illiusque numeri prologi dicuntur: huius hypologi, quasi duces et comites. De multiplicibus duplae, triplae: de superparticularibus sesquialterae, sesquiterciae: de superpartientibus, superbipartientes, supretripartientes, et deinceps oriuntur: ac rara eadem ratio
15 in compositis. Rursum qui per se cernitur, continens numerus linearis, planus, solidus, pyramis, etiamque curta, quadrantalia, asseres, laterculi, cunei, paralelepipedii, gradati, altera parte longiores, et orbiculares.

20 Secunda doctrinalium est Musica. haec alia est naturalis, alia artificialis. Illa, alia mundana, quae cernitur in eo quod coelestium motus, sicut $\varphi\theta\delta\gamma\gamma\omicron\varsigma$, diastemate constat: circularesque ambitus harmonicorum systematum referunt apocatastases, quas auctore Materno interpretari redintegrationes possumus. Tum siderum ipsorum aspectus, qui
25 trigono, tetragono, dodecatemorio, dimensione fiunt: diatessaron, diapente, tonum diapason faciunt. Motusque ad orientem vel occidentem gravissimis sonis, in coeli vero meditullio comparatur acutissimis altitudines chromaticen gignunt, enharmonion, diatonion, latitudines, tropos. Lunae
30 facies tetrachordorum referunt iugationes: quae omnia diligentissime prosequitur Ptolemaeus. Alia vero est Musica humana, quae tribus animi partibus constat: intellectu, sensibus, habitu. Tres efficit et rationes, diapason, diapente,

diatessaron. Prima enim (ut Ptolomaeus inquit) septem illa
continet: mentem, imaginationem, memoriam, cogita-
tionem, opinionem, rationem, scientiam. quo numero
consonantia constat, quae vocatur ex omnibus. Secunda
5 quattuor, visum, auditum, olfactum, tactum, (nam in eo
gustus est) aequas numero partes quinariae partibus. Tertia
rursum tres, auctum, fastigium, decrementum: cui
quaternaria respondet. Item si partes animae feceris,
rationis, irae, cupiditatisque sedes, in prima (secundum
10 Politianum) septem sunt, acumen, ingenium, solertia,
consilium, sapientia, prudentia, experientia: in altera
quattuor, aequanimitas, impaviditas, fortitudo, tolerantia:
in tertia tres, temperantia, continentia, verecundia: quibus
triplex eadem symphonia conflatur. Omnium autem inter
15 se concordia, iustitia nominatur. Item trinis generibus
spectativae partis, et activae, tria illa congruent: en-
harmonium, naturali, morali: diatonicum, divino et civili:
chromaticum, matematico et oeconomico. Productionum
vero mutationes, vitae morumque conversionibus respon-
20 dent. Haec Politianus. Artificialis porro quaedam est
harmonica, quaedam rhythmica, aut metrica. Primae partes
numerantur, soni spatia, systemata, genera, toni⁴⁴, mu-
tationes, modulatio. Secunda Latinis dicitur numerus, arsin
habet et thesin: hoc est, levationem ac positionem, quibus
25 videlicet plauditur, oriturque de numeris connumeratis,
dinumeratis, complicatis, ac sesquatis. Discernitur visu, ut
in saltatione: auditu, ut in cantu: tactu, in venis. Quippe
medicorum doctissimus Herophilus, motus omnes illos et
pulsus humani corporis, in musicos digessisse numeros
30 narratur. Sunt vero numeri omnes, ut Politianus enumerat,
aut iudiciales, aut progressores, aut occurrentes, aut
recordabiles, aut sonantes, vel si mavis corporales: ut illi

⁴⁴ K: genera toni

etiam signentur, qui sunt in saltatione et in certo motu
visibiles. Huius partes quinque sunt: tempora prima, pedum
genera, agoge mutationes, rhythmopoea. Haec Politianus ad
verbum. Tertia ab elementis et syllabis pergit ad pedes. Pedes
5 syllabis constant, syllabae autem temporibus tenduntur.
Ceterum tertia doctrinalium est Geometria, a puncto, quae
nota impartilis est, lineas pervidet rectas, circumferentes,
flexuosas, iacentes, perpendiculares, alternas, disterminas⁴⁵:
angulosque iustos, angustos, latos, summitates, circulos,
10 semicirculos, et qui limites fasciati vocantur: trilateres,
quadrilateres, multilateresque figuras. Inque his aequilateras,
aequicruras, gradatas, rectangulas, acutiangulas, obtusian-
gulas, et quae parte altera longiores sunt et rhombos, et
rhomboides, et mensulas. In solidis, pyramides, prismata,
15 conos, cylindros, cubos, sphaeras, etiamque illa quae vocant
octoedra, dodecaedra, icosaedra: quae suo tempore, si vita
superstitero, in libris de Philosophia omnia diligentius
excutiemus. Sufficit iam haec, quasi in catalogum redacta
etiam a Politiano, breviter numerasse: ut habeas quod, o Phi-
20 lomuse, examinare tandem possis. Multa ego praeterii, quae
Politianus numerat, ut insolentiam illam vocum vitarem:
quandoquidem locus ea fusius tractandi, hic non sit deter-
minatus. De quarta illa doctrinalium, superius in tractatu de
coelo satis diximus. Huius sex sunt pedissequae: Calculatoria
25 seu Logistica, figuris utitur numerorum novem, quas Pytha-
gorici excogitarunt. quae sex generibus continetur: elemen-
torum expositione, compositione, ablatione, multiplicatione,
partitione, quadrati lateris inventione. Geodesia vero, quae
etiam a Pappo geomeria⁴⁶ vocatur, et ipsa in sensilibus
30 vertitur, continetur generibus recto, plano, solido, pedatura
ipsa, porrecto, constrato, quadrato pede, figuris, climatis,

⁴⁵ K: disterminans

⁴⁶ K: geometria

scopulis, flexibus, angulis, rigoribus: lineisque omnibus
rectis, alternis, basibus, verticibus, cruris, diagoniis, perpen-
dicularibus, hypotenensis, diametris et perimetris, mensuris,
miliaribus, et similibus. Canonice autem rationes harmo-
5 niarum considerat apparentes, regularum segmentis
excogitatis, atque aures (ut ait Plato) praeferens intellectui.
Rationes enim symphoniarum, nunc monochordo canone
deprehendit, nunc tetrachordorum generibus divisus, quae
nervorum nominibus undeviginti censentur: qualia multa
10 Ptolemaeus exponit in his libris, quorum titulus est $\pi\epsilon\rho\iota$
 $\tau\omega\nu\ \acute{\epsilon}\nu\ \acute{\alpha}\rho\mu\omicron\nu\iota\kappa\eta\ \kappa\rho\iota\tau\eta\rho\iota\omega\nu$. Haec vero in organis est
percussionalibus, tensilibus, inflatilibus. Astrologiae partes:
Gnomonice, quae solariorum discriminatis umbris horas
veruto denotat, a Vitruvio diligenter exposita: tum quae
15 vocatur Meteoroscopice, sublimitatum differentias et
intervalla siderum deprehendens. Dioptrice quae solis et
lunae, et aliorum siderum intercapedines colligit, et ordines.
Huc Astrolabii pertinet inventio, quam Ptolomeo Synesius
tribuit. Hanc etiam Astrologiam vocant plerique, eam quae
20 proprie Genethliologia vocatur: cuiusque professores a
veteribus Chaldaei, Mathematici, Genethliacique vocantur.
Optice, generis est nomen, et partis. Pars ipsa causam
visibilium deprehendit, quae per intervallum falsa
creduntur: ut cum lineae alternae concurrere inter se
25 videntur, et intercipi quadratorum anguli. pars altera
Catoptice, quae circa omnifarias $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\kappa\lambda\alpha\sigma\epsilon\iota\varsigma$, hoc est,
inflexiones versatur. tertia Scenographice, iudicans quo
pacto nec abnumera, nec deformia fingamus in imaginibus
quae cernuntur, intervallorum scilicet et altitudinum causa.
30 At quae generis locum tenet, ea lineis utitur visus et angulis,
observat radiorum projectiones, umbras, lucis figurationes,
quae directae visioni, quae reflexae faciant imposturam,
speculis adhibitis, planis, globosis, columnaribus, turbina-
libus, cavis, convexis, et similibus. Mechanica sequitur, cuius

(ut Heron, Pappusque declarant) altera pars rationalis est, quae numerorum, mensurarum, siderum, naturaeque rationibus perficitur. altera Chirurgice, cui vel maxime artes illae, aëria, aedificatoria, materialia, picturaque adminiculantur.

5 Huius partes sunt, Manganaria, Mechanopoëtice, Organopoëtice, Thaumaturgice, Centrobarica, et Scheropoëa: qualis est illa Archimedeae, Claudiani laudata versibus. De istis omnibus ut ante polliciti sumus, suo loco fusius tractabimus.

PHIL. Ego aequo animo omnia haec accipio, sive declarata

10 sint, sive enumerata tantum. Spero me diutius tecum victurum: nec dubito, quin ad omnia sufficienter mihi responsurus sis, quaecunque in dubium venerint: deinde plurima ex hisce olim audivi et scivi. Quare absoluta hac naturali Philosophia parte, si placet, brevibus et Moralem

15 salutabis. EPIST. Expedit omnino, eam saltem a limine degustare. Habemus enim in Theologia ipsa, legales, historicos, morales, propheticosque libros: unde patet, ad moralium librorum usum plurimum conducere intelligentiam huius Philosophiae partis. quare praetereunda omnino non est.

20 Itaque Moralis scientia est pars civilitatis, in qua de bonis agitur diversis: e quorum numero et Virtus, sive rationalis animae sit, sive rationi obtemperantis, (ut Epicteti verbis utar) dicitur. in qua tractantur affectus, potestates, habitus animi: et in his excessus, defectus, mediocritates, arbitrium,

25 electio appetitus: eiusque partes, cupiditas, furor, voluntas. Hinc sunt virtutes, fortitudo, aequanimitas, continentia, temperantia, liberalitas, magnitudo animi, magnificentia, honestas, gravitas, urbanitas, veritas, iustitia, scientia etiam, prudentia, intelligentia, aestimatio, solertia, sagacitas, comitas,

30 heroica virtus, voluptas, prosperitas, amicitia, bene-

volentia, concordia, amorque sui. Porro secundum Platonem, Iustitia universalis ad totum chorum virtutum transfertur, qua redditur obedientia debita legibus et magistratibus. Quemadmodum particularis, iuxta Simonidis definitionem, 5 virtus, quae suum unicuique tribuit, dicitur, tam distributive quam commutative, aut ordinando personas, aut communicando res. Unde commutativa⁴⁷ iustitia Aristoteli est, quae communicat aequalia, proportione Arithmetica: in qua dispositis tribus, aut pluribus numeris, omnes distant 10 aequalibus differentiis, sine respectu proportionum. Distributiva vero, personarum ordinatio in omni vita, publica et privata, iuxta proportionem Geometricam, qua gradus officiorum et personarum constituuntur: sicut Marii distributio contra Cimbro, Catuli domi gubernatio 15 Reipub.[licae] quam praecipuam conservatricem rerum publicarum, et privatae consuetudinis dicimus. Unde Plato sapientissime dixit, Optimum Reipubl.[icae] statum esse, si sit constituta geometrica proportione. Haec Platoni quoque secundum Simonidem, apud Iure consultos, est 20 constans et perpetua voluntas, suum cuique tribuens: in ius positivum atque naturale distributum, ratione legum et notitiarum. Hoc εὐεργάς, bona communia hominibus cum reliquis animantibus, et notitias naturales, quas illi ius gentium vocant: Philosophi utrunque gradum ius naturae 25 nuncupant. Illud vero est sententia magistratus, quae addit ad ius naturae circumstantiam aliquam, ratione probabili, et non necessaria. Hinc ius naturae immutabile procedit: et secundum Aristotelem 3. Polit.[icae] satius esse videtur, scripto ac certo iure uti in diiudicandis rebus, quam naturali 30 aequitate: siquidem violare, peccatum grave, etiam extra casum scandali: et foenus exercere de contractibus, pugnat

⁴⁷ corr. ex communicativa; iako i B: i K: donose "communicativa", po smislu je ispravljeno u "commutativa".

cum iure naturae. Item usitatus contractus, in quo emitur
reditus cum pacto retrovendendi, fit illicitus et usurarius.
aut contractus societatis, cum alter pecuniam, alter operas
confert: et is qui pecuniam confert, postulat lucri partem,
5 salvo capitali, quod manifeste in Institutionibus probatur.
Ad hoc civilis disciplina plurimum conducit, quae est triplex:
regnum, optimates, respublica. Cuius excessus totidem
tyrannis, oligarchia, democratia. Dividitur a Platone
trifariam, quemadmodum et anima. nam rationi congruere
10 philosophos, irae milites, cupiditati voluit artifices. E
philosophis principes, magistratus, sacerdotes, senatores,
iudices leguntur, qui leges vel ferant, vel exerceant. Itaque
locus hic est, in quo ius civile non quidem in titulos, quod
longum foret nimis, sed in summa genera partiamur: quod
15 et Politianus facit. Ius igitur civile Romanorum, tametsi
voluminibus quoque aliis continetur, tamen Pandectis ipsis
in suas partes distributis, utpote omnia genera com-
plectentibus, plena digestio resultabit. Septem igitur in his
articuli sunt: quorum primus ea continet quae Graece πρῶτα
20 πρῶτα vocantur, secundus iudicia, tertius res, quartus
hypothecas, quintus testamenta, quaeque testamentis
accedunt: in sexto tituli continentur bonorum possessionis
varii, neque non operis novi nuntiationes, damnumque infecti,
et pro aedificiis dirutis, et eorum insidiis: et de aqua pluvia
25 arcenda, de publicanis, donationibus, manumissionibus,
liberalique causa: tum de dominii et possessionis acquisitione,
deque iis qui iudicati vel in iure confessi sunt: de bonorum
detentionibus, et ne quid in fraudem creditoris fiat: interdicta,
exceptiones, temporum prolixitates, et actiones. ultimus
30 stipulationes, fideiussiones, acceptilationes, et titulos illos
Ad municipales, de curionibus et muneribus, de publicis
operibus, nundinis, pollicitationibus⁴⁸, cognitionibus,

⁴⁸ K. de pollicitationibus

censibus, verborum significatione, iurisque regulis. Pontificium, inquit Politianus, quasi succentivum civilis est, et ad eius exemplum (quatenus ratio patitur) dividendum. Res militaris, viris et armis constat. Viri, dux et milites, et qui
5 militum causa. In duce scientia, peritia, autoritas, fortuna requiritur. in milite, robur et disciplina. Hi vel equites, vel pedites, diversis in acie nominibus distincti. Militum causa fabri, tubicines, liticines, lixae, calones. Arma, quibus oppu-
10 gnamur, aut defendimur, eaque de quibus in Mechanica diximus: inter quae etiam navalia continentur, in quo genere liburniae classes, et lusoriae sunt. Huc autem tyronum de-
lectus et exercitatio, positio castrorum, et munitio, instructio aciei, quae *Tactica* Graeci vocant: qualis est *orthia*, *epagoge*,
et *caelembos*: et *phalanges* variae, ac *diphalangiae*, *amphi-*
15 *stomi*, *antistomi*, *peristomi*, *homoeostomi*, *heterostomi*, *inflexae*, *incurvae*, *ovatae*, *lunatae*, *laterculi*, *rostra*, et alia id genus: *oppugnatio*, *propugnatio*. Postremo *stratagemata* ipsa, qualia *Frontinus* exequitur. Restant artes plures a superioribus celebratae: ut *agricultura*, *pastio*, *venatio*,
20 *architectura*, *graphice*, *coquina*: *theatrae* nonnullae, ut sunt *scenici*, (qui et *hypocritae*, *comoedi*, *mimi*, etc. appellantur) *gladiatores*, *gymnici*, et *agitatores*, *aucupes*, *hamiotae*, *piscatoresque*: alii *urinatores*, *aquarii*, *cetarii*, *macellarii*, *cupedinarii*, *salsamentarii*, *lanii*, *fartores*, *condimentarii*,
25 *obsonatores*, *vinarii*, *hospites*, *stabularii*, *popinarii*, *popinarumque* *institores*, *biberarii*, *botularii*, *crustularii*. Sed et *structores*, et *lactarii*, et *pomarii*, *herbarii* et *seplasiarii*, et *medicamentarii* omnes, omnisque denique forensis turba: quod genus et *olitores*, *ficitoresque* sunt. Post hos et ipsi
30 *corporis* *agentes* *curam*, *tonsores*, *balneatores*, *pilicrepi*, *alipili*, *mediastini*, *mangones*, *aliptae* seu *paedotribae*, *cini-
flones*, *arcularii*, *propolae*, *pigmentarii*, *coronarii*, *cosmetae*, *funerarii*, *libitinarii*, *designatores*, *praeeficae*. His adduntur *ἀποχείροβωτοι* illi: ut *fabri*, *tignarii*, *cementarii*, *materiarii*,

aerarii, ferrarii, et ceteri sibi manibus victum parantes. de quibus suo loco aliquando tractabimus, ut sumus polliciti, si diutius supervixerimus. Haec interea, quoad praesens, sufficiat numerasse. nec te audisse taedeat: quandoquidem

5 Politianus in istarum artium enumeratione longe, etiam quintuplo magis, atque Cornelius, et vetusti illi Catalani, occupatus fuit. Ego vero, quarum exiguus aut nullus usus est, praeterii, quasi indigna nostro proposito: sed de quibus aliquando tractaturos nos deliberavimus, eas tantum recitare

10 volvi. PHIL. Audivi sane animo quieto et attento: imo si et plura in medium attulisses, eadem patientia fuissent gratissima. Sed cum tibi ita subsistere videtur, non potest mihi non placere. Unum autem restat, postquam numerasti multa, et divisisti, vellem ut iustitiae superius tractatae

15 nonnihil etiam adderes de magistratu, legibus et felicitate, saltem obiter: quandoquidem hactenus de dispensativa, quae est domini, mariti, patris, quaerit, servat, adornat, utitur, regiaquae est, satrapica, civilis, et idiotica, dixisti. Haec enim conveniet coniunctio, ethice, politice, et

20 oeconomice, plurimum. EPIST. Magistratus adeo necessarii sunt, ut sine ipsis civitas nulla esse possit: adeoque honesti, ut ad ornatum et honestatem aptiores magis natura non produxerit. emptionem enim, venditionem et decorem servant ac tuentur: aedilitatis officium gubernant, qui circa

25 actiones damnatorum, et eorum quae paulo ante posita, quorum inscriptiones factae sunt, et circa custodias corporum versantur. Hinc summe quidem necessarius magistratus, sed omnium difficillimus, et gravis

administrationis, propter multas quae inde proveniunt inimicitias. Hic non minus est eorum quibus sacrificia publica, quae lex non assignat, sed ut publico sumptu fiant committuntur: ac qui rem sacram curant, ut sacerdotes, aeditui.
5 quorum officium est, ut templorum quae incolumia sunt aedificia conserventur, et quae ruinosae erigantur, et universorum curam habeant quae ad divinum pertinent cultum. Quare leges praecepta sunt Reipubl.[icam] continentia, cum cives exequentur quae iubent, aut abstant ab
10 iis quae vetant. Unde leges bonae Reipubl.[icae] quae et bene positae, et quibus paretur: perinde ac non bonae Reipubl.[icae] quae aut male positae sunt: aut si bene, quibus non paretur.

Ceterum Felicitas est, secundum virtutem operatio: et
15 in vita perfecta, alia activa, alia contemplativa. haec melior, et optima: illa, ad virtutum⁴⁹ moralium operationes et agibilia collata, laudabilis est: sed comparata ad felicitatem contemplativam, et honorabilis est, et laudabilis, Deoque amatissima: quae bona est per se, et perfecta, homini propria. quam, ut Epicurei volunt, in voluptate sitam, ut Mahometicam nefandam institutionem, damnamus. et cum sit
20 permanens, atque incorruptibilis: in honoribus nullo modo debet consistere: longe minus in divitiis, nec in virtute, dum inesse etiam dormienti, non operanti secundum virtutem,
25 in vita perfecta possit: quod in ipsa felicitate fieri nequit, nec in idea a posteriori concepta. Non autem ideo felix existimandus est, quasi externis bonis non egeat. nam sine istis, virtutis operatio consistere nequit. Ceterum in hac vita felices esse non posse, ne dubites: ea saltem ratione, qua
30 prospera amicorum atque adversa in amicos redundant, quae et magnis adversitatibus calamitatibus praepeditur. Nec puer felix est censendus, quia secundum virtutem operari

⁴⁹ K: virtutem

non potest: quae in vita perfecta completaque aetate, qua homo natus est secundum operationem virtutis, paratur saltem, at in hac vita non consequitur. licet Aristoteles in hac vita felicitatem esse tueatur. At ne offendatur Solon et
5 alii, dico felicitatem subiectivam, quae ex subiecta materia colligitur, in vita dari: felicitatem vero finalem, propter quam agimus, non nisi in contemplativa vita consistere. PHIL. Quae hactenus philosophiam supernaturalem, naturalem et moralem concernebant, breviter et dilucide
10 pertractasti: sed ne quicquam intactum relinquatur, dicas de ipsa rationali quoque. EPIST. Rationalis, ut superius memini, aut iudicat⁵⁰, aut narrat, aut demonstrat, aut suadet, aut oblectat: unde Grammatica, Historia, Dialectica, Rhetorica, et Poetica emerferunt. Grammatica, aut
15 methodice, aut historice, aut mista est. Prima consistit in loquendo et scribendo. secunda in legendo et enarrando. communis in iudicio grammatistice, ut Politianus inquit, a Graecis: a Varone, literatio vocatur. haec considerat literas et syllabas, cum suis illis vel fastigiis, (ut idem solet appe-
20 llare) vel longitudinibus: item orationis partes, proportionem, et inaequalitatem, vitia, rusticitatem, stribiliginem, orthographiam, pedes, metaplasmos, tropos, schemata, glossemata, notas, suspensiones, distinctiones, clausulas, vocis elationes, depressiones, flexus, concitationes,
25 moras, positurasque: et qui legendi, qui reiciendi, quid in quoque probandum, qui cuique praeponendi, quae sit in his oeconomia, quodve decorum: praeterea rhetorum progymnasmata. Historia, secundum eundem, vel fabularis, vel ad fidem. Fabularis, aut voluptatis, ut in argumentis
30 Comitorum: aut adhortationis gratia adhibetur. haec, aut argumentum habet ex ficto, ut in Aesopicis fabulis: aut ex

⁵⁰ corr. ex indicat; I K: i B: na ovom mjestu donose pogrešno indicat. U B: na str. 25 stoji ispravno iudicat, ali u K: na str. 18 takoŠer pogrešno indicat.

veri, soliditate. quae aut per turpia contextitur, ut in quibusdam poëticis figmentis: aut pio tegitur velamine, quod solum genus Philosophi veteres admiserunt. Ad fidem historia de locis est, ut Geographia: vel de temporibus, ut
5 chronice: vel de natura, ut animalium, plantarum: vel de gestis rebus, ut annales, historiaeque ceterae. Quarum elementa sunt, personae, causae, locus, tempus, modus, instrumentum, materia, res. Stylus in historia fusus, et continuus, non periodicus: nisi cum prosopopoeias asciscit,
10 in contionibus. Dialectia vero, quam primus latinitate donavit (ut Politianus testatur) M. Varro, est, secundum Aristot.[elem] 1. Rhet.[oricae] ars de contrariis credibiliter ratiocinandi. quae sex normis utitur: loquitur, et eloquitur, quo ad simplices voces: proloquitur, quo ad compositas
15 voces. summa proloquiorum utitur in argumentando: indicat in confutando: et dicit de his quae dicenda sunt. Quod ad prima duo attinet: contraria alia sunt eorum quae nulla cum complexione dicuntur, ut calidum, non calidum: alia cum complexione, ut homo currit, homo non currit. quae
20 sine complexione dicuntur, aut nomen, aut verbum significant.

Nomen est vox significativa, ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata: ut homo. Hoc est duplex: finitum, ut homo: infinitum, ut non homo. Verbum
25 autem est, id quod insuper tempus significat, et cuius pars nulla seorsim significat, atque semper eorum quae de alio dicuntur est signum. Hoc, ut nomen, duplex: ut, currit, non currit. Nominis et verbi decem sunt series, vel praedicamenta: substantia, ut homo simpliciter: quantum, ut
30 bicubitum: quale, ut album: ad aliquid, ut duplum: agere, ut secare: pati, ut secari: ubi, ut in iudicio: quando, ut heri: situm esse, ut sedere: habere, ut indutum esse. Quaelibet harum coordinationum habet quinque voces intentionales, quae sunt: species, genus, differentia, proprium, et accidens.

Omnes hae voces de pluribus univoce praedicantur: sed
prima, numero in eo quod quid est: secunda, specie, in eo
quod quid est: tertia, specie vel numero in eo quod quale
quid est: quarta, numero in quale convertibili: quinta, in quale
5 non convertibili. Substantia est, quae per se subsistit, alio
neutiquam indigens, ut sit: ut homo. cuius series sic habet:
Substantia alia est corporea, alia incorporea. corporea, alia
composita, alia simplex. composita, alia animata, alia ina-
nimata. animata, alia sensitiva, alia insensitiva⁵¹. sensitiva,
10 ut animal⁵², aliud rationale, aliud irrationale: illud, ut homo,
hoc, ut brutum. In hac serie truncus habet genera, de-
scendendo: species vero, ascendendo. Prima in ascensu est,
species specialissima: in descensu vero, est genus generali-
ssimum. Media, sunt in descensu genera subalterna: in
15 ascensu, species subalternae. Rami vero habent differentias,
propria, et accidentia. Similiter investigantur hae voces
praedicabiles in singulis praedicamentis. Quantitas est, se-
cundum quam partes⁵³ quippiam dividitur. haec est duplex,
continua et discreta. Continua est, cuius partes ad eundem
20 terminum communem copulantur. cuius tres sunt species:
linea, sive longitudo: superficies, seu longitudo et latitudo:
corpus, seu longitudo, latitudo, et profunditas. Discreta est,
cuius partes ad nullum terminum communem copulantur.
huius species sunt, numerus, et oratio. Qualitas est, secun-
25 dum quam quales esse dicimur: ut secundum albedinem
albi. haec alia est animi, ut virtutes et vitia: alia corporis, ut
albedo, nigredo, etc. Ad aliquid dicuntur, quaecumque id
quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo
dicuntur. illud appellatur secundum dici, hoc secundum
30 esse. Actio est, secundum quam in quod subicitur, agere
dicimur: ut secare, verberare. Passio est, illatio, effectusque

⁵¹ K: alia insensitiva, alia sensitiva

⁵² corr. ex: ut animal aliud

⁵³ K: in partes

actionis: ut secari, verberari. Ubi est, quae a loci circumscriptione procedit, corporis locatio: ut, in agro esse. Huius differentiae sunt, superius, inferius, dextrum, sinistrum, anticum, posticum, sive ante et retro. Quando est, quae
5 relinquitur ex tempore, rerum affectio: et est genus nominum temporalium, ut sunt, hodie, heri, cras. Situs est, quod positionem habet quoquo modo ad alterum: ut, stare. Habitus est, ratio vestiendi corpus: ut, armatum esse. Ad hanc partem referuntur, definitio, totum, pars, divisio,
10 partitio: tum nomina illa quae sunt aequivoca, univoca, plurivoca verba: quae sua, quae ve aliena rebus: tum opposita quoties dicuntur, quoties illa simul, prius motus, quid ex nomine et verbo iungatur, quae subiectiva sententiae pars, quae declarativa, qui modus utriusque: quatenus nomen accipiatur, aut verbum: quatenus perfecta sententia
15 proloquium sit.

Quod ad secundam partem attinet, sunt quae cum complexione dicuntur, et enuntiatio atque oratio nuncupatur. Oratio est vox significativa, cuius partium aliqua
20 separata significat, ut dictio: sed non affirmatio, vel negatio. et enunciativa ea tantum, quae vera est, aut falsa. Vera, quae cum re consentit: falsa, quae cum re non consentit. Harum alia erit enuntiatio simplex, quam alii Categoricalam vocant, quae est vox significativa essendi quippiam, vel non essendi:
25 uti sunt tempora distincta. alia autem ex his composita, quam alii hypotheticam nominant, est, quae coniunctione est una. Quinque accidunt propositioni: Substantia, penes quam propositio dicitur categorica, vel hypothetica: Qualitas, penes hanc dicitur affirmativa, et negativa:
30 affirmatio est, de aliquo alicuius enuntiatio: negatio autem, enuntiatio qua aliquid ab aliquo dimovetur. Quantitas, penes hanc dicimus aut universalem, cum aliquid aut omni, aut nulli inesse: particularem, cum alicui, aut non alicui, aut non omni inesse: indefinitum, cum aliquid inesse, vel

non inesse, sine universali particularive nota. Singularem,
cum aliquid uni soli inesse, aut non inesse significat. Materia,
penes quam propositio alia est necessaria (in qua est
definitio, aut pars definitionis, vel genus, vel differentia,
5 vel proprium) alia contingens, ubi accidentia praedicantur
de subiecto: alia remota sive impossibilis, cum diversae
species connectuntur. Passio: penes hanc consideratur
propositionum oppositio, quae est duarum propositionum
categoricarum eiusdem subiecti vel praedicati repugnantia:
10 cuius quattuor sunt species: Contraria est, universalis
affirmativa et negativa, recipiens falsitatem in contingenti
materia. Subcontraria, est particularis, nempe affirmativa
et negativa, recipiens veritatem in contingenti materia.
Contradictoria, universalis nimirum affirmativa, et
15 particularis negativa: aut duae singulares, aut duae
infinite. Haec in nulla unquam materia recipit veritatem
aut falsitatem. Subalterna, universalis et particularis, sive
affirmativa, sive negativa, sola quantitate dissentiens. Penes
passionem consideratur quoque conversio, quae est duarum
20 propositionum inter se praepostera mutatio, praedicati in
subiectum, et subiecti in praedicatum. Subiectum est, de quo
aliquid praedicatur. Praedicatum vero, quod dicitur de
subiecto. Ea est triplex. Simplex, per accidens, et per
contrapositionem. Simplex est, quando propositio
25 simpliciter vertitur, manentibus eisdem signis. Per accidens
est, cum ultra id signum, universale in particulare mutatur.
Per contrapositionem, cum finitum mutatur in infinitum.
Quarum difficultas his versibus patet:

30 *Feci simpliciter convertitur Aeva per Acci,
Asto per contra, sic fit conversio tota.*

Penes passionem ultimo consideratur aequipollentia propositionum, quae hoc versiculo constat:

Prae contradic, post contra, prae postque, subalter.

5 Praeterea sunt propositiones modales, quae ex quarto
accidente oriuntur. Hae quattuor modis constant, quae sunt:
possibile, impossibile, contingens, et necesse. Postremi duo
sunt affirmativi, primi duo negativi, alii universales, alii
10 particulares. Porro hypothetica propositio ex primo acci-
dente orta est, ex duabus categoricis coniunctione una, aut
conditionali, aut copulativa, aut disiunctiva: quorum negatio
vel affirmatio penes coniunctionem consistit. Si coniunctioni
negatio fuerit apposita, sive praeposita, negativa est tota
15 propositio: si minus, affirmativa. Huc referuntur de-
dicativae, abdicativae, congruae, incongruae, suppare,
alterutrae. Quod ad tertiam partem attinet, sunt quae de
credibili ratiocinatione dicuntur. Dicitur autem credibilis
ratiocinatio, ad differentiam demonstrativae et rhetoricae.
20 haec enim suasorie ratiocinatur, illa necessarie. Itaque
credibilis ratiocinatio seu argumentatio, est iusta argumenti
per orationem explicatio. Huius sex sunt species:
syllogismus, enthymema, inductio, exemplum, et Sorites seu
inversus syllogismus, et dilemma. Syllogismus est oratio,
25 in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his quae posita
sunt ex necessitate accidit, eo quod haec sunt. Syllogismus
est duplex; categoricus, qui Argumentatio nuncupatur, in
qua e tribus terminis duae propositiones ita conficiuntur,
ut ex his conclusio necessario sequatur: hypotheticus vero,
30 licet totidem propositionibus constet, in hoc tamen
differunt, quod ille tribus simplicibus propositionibus, hic
altera saltem composita constat. Syllogismo quattuor
accidunt: materia, forma, canon, et reductio. Materia sunt

tres termini, maior, minor, et medius: et duae propositiones
ex ipsis compositae, maior et minor. Maior terminus seu
propositio est semper, in qua praedicatum conclusionis
reperitur: minor, in qua subiectum: medium vero est,
5 terminus bis sumptus ante conclusionem. Conclusio est, in
qua maior extremitas praedicatur de minore. Forma
syllogismi dicitur figura, quae est legitima dispositio medi
in duabus propositionibus, ita ut apte subiciatur et prae-
dicetur. et modus, qui est legitima dispositio praemisarum
10 in debita qualitate et quantitate. Figurae sunt tres: prima,
in qua medium subicitur in prima, et praedicatur in secunda:
secunda, in qua medium praedicatur in utrisque: tertia, in
qua medium subicitur in utraque. Omnium trium
figurarum forma talis est: $\begin{matrix} 3 & 1 & 2 \\ \vdash & \searrow & \swarrow \end{matrix}$ Prima figura modos habet
15 quattuor perfectos, Barbara, Celarent, Darii, Ferio:
imperfectos, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo,
Frisesmorum. Secunda itidem quattuor: Cesare, Came-
stres, Festino, Baroco. Tertia sex: Darapti, Felapton, Disamis,
Datisi, Bocardo, Ferison. Reductio est, syllogismi imperfecti
20 per syllogismi perfecti modum probatio. haec est duplex,
ostensiva, quando per medium conversionis aut
transpositionis, vel simul utriusque, id facimus: et per
impossibile, quando negans deducitur ad aliquod
impossibile, iuxta hos versiculos:

25 *Servat maiorem, variatque secunda minorem:
Tertia maiorem variat, servatque minorem.*

ut in Baroco et Bocardo. Secunda species ratiocinationis est
30 enthymema, alias syllogismus mutilatus nuncupatur, cum
maior aut minor deest propositio: duabus saltem constans,
quarum prima antecedens, secunda consequens dicitur.
Tertia est inductio, argumentatio nimirum: in qua ex multis
singularibus colligitur sententia universalis, vel e part.[ibus]

totum, genus e speciebus. Quarta est exemplum, in qua unum particulare per aliud probatur: id est, in qua e similibus ratiocinamur similia. hic vitanda est dissimilitudo. Quinta est sorites, forma nempe argumentationis, in qua coacer-

5 vantur voces necessario cohaerentes: ut genera, species, causae, effectus, etc. et dicitur inversus syllogismus. Sexta, dilemma, argumentandi ratio, in qua utrumcumque concesseris, reprehenditur. Quod ad quartam partem attinet, qua confutandi sunt adversariorum cavilli, est canon, qui

10 ostendit syllogisticam conclusionem. Primo: Ex solis negativis nihil sequitur. Secundo: Ex solis particularibus non potest effici syllogismus, nisi casu, aut per accidens. Tertio: In syllogismo non debent esse plures termini quam tres, neque aequivocatio sive ambiguitas. Quarto: Medium non

15 debet usurpari in conclusione. Quinto: Conclusio imitatur debiliorem partem praemissarum. Sexto: Non valet argumentatio a non distributo ad distributum. Septimo: Maior in prima et secunda figura perpetuo est universalis. Octavo: Minor in prima et tertia figura semper est

20 affirmativa. Nono: Tertia figura semper particulariter concludit, at secunda negative, in qua expositorius syllogismus locum habet, medio singulari observato. Similiter leges hypothetici syllogismi sunt in genere tres. Prima: A positione antecedentis ad positionem consequentis

25 recte procedit argumentum. Secunda: A destructione consequentis, ad destructionem antecedentis, valet consequentia. Tertia: In repugnantibus posito antecedente, ut consequens tollatur, recte argumentamur. Quod ad quintam attinet partem, inventio medii dialectica, procedit

30 ex quinque vocibus in quolibet praedicamento sitis, per rationem conclusioni adhibitam. Rhetorica materia duplex est, ubi et unde fiat oratio. Prior in quaestionem dividitur, et causam, in qua considerantur partes officii: ut inventio, qua

inveniuntur quaestionis genera tam principalium, ut an sit, quid sit, quale sit (unde status fiunt illi rationales, coniectura, finis, qualitas: mox et legales, e quibus alii propagantur, et iudicatio emergit) quam incidentium: item causarum, ut
5 demonstrativum, deliberativum, et iudiciale. Rursus honestum, admirabile, humile, anceps, obscurum. Item naturae simplicis et multiplicis. Ductus ex consilio nascens, simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus. Ultimo fides, quae conciliando fit, docendo et permovendo. primum in ipsis
10 principiis locum habet, secundum in narratione, tertium in epilogo. Primum item consideratur in persona, vel auditoris, vel rei, vel oratoris, vel adversarii, et re honesta atque utili: secundum, in argumentis artificialibus et inartificialibus. Priora, vel insunt negotio, ut a toto, et a parte: vel negotium
15 attingunt, a coniugatis, genere, forma, simili, differenti, contrario, coniunctis, antecedentibus, consequentibus, repugnantibus, causis, effectibus, comparatione maiorum, minorum, parium. Posteriora vero, scriptura, auctoritate, et necessitate. Commovemus miseracione, odio, invidia,
20 metu, spe, ira, et similibus. Secunda pars officii, est dispositio naturalis, ordinem tenens: et artificialis, pro ratione causae permutans. Tertia, elocutio: quae fundamentum latine et plane dicere, atque fastigium copiose et ornate, habet. cuius rationem duplicem Politianus tradit,
25 in singulis et copulatis verbis. Singula, propria, et tralata: propria, antiqua et nova: tralata, inopiae decorisque gratia. Copulata, constructione, conclusione, figuris: ita coagmentata, perfecta, venusta. Quae rursus vel continuata et fusa, qualis in historia: vel periodica, quae rursus vel

membris caesisque constat, et ambitu, vel monocolos est. Quarta pars officii, memoria nuncupatur, quae naturalis et artificialis dicitur. Haec partitione constat, et locis, et imaginibus. Quinta⁵⁴ vero, pronuntiatio ipsa, voce, vultu, 5 gestu, cultu, et habitu oris continetur. Itaque hisce quinque partibus officii condistinguuntur partes orationis. Prima est, exordium: quod attentum, docilem, benevolum praestat auditorem. Secunda est, narratio, aut historia, aut fabula, aut argumentum, aut iudicialis assertio: cuius elementa, personae, causa, locus, tempus, materia, res: esse autem dilucida 10 brevisque debet. et est aut ipsius causae, aut incidens, aut continua, aut partilis. et narramus augentes, attenuantes, praetereuntes, docentes, monentes, gratiam vel invidiam comparantes, et item digredientes. Tertium, propositio: quae 15 aut nostra est, aut adversarii, aut communis, aut principalium, aut incidentium, aut simplex, aut coniuncta. rursus aut simplex, aut per inductionem. postremo, vel nuda, vel rationi subiecta, vel summatim, vel partibus. Quarta est, argumentatio: quae aut confirmat, aut reprehendit. Quinta 20 est peroratio: quae enumeratione constat, indignatione, miseratione. Itaque, mi Philomuse, haec paucis sint dicta de rationali philosophia: dicerem aliquid etiam de ipsa divinatione, sed in occultis occultorum occultis prolixius hac de re aenigmata excussimus, tam naturalia quam artificiosa, 25 popularia et profana, penes sapientes Hebraeorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Persarum, Orph.[icorum], Pythag.[oreorum], Arabum, Graecorum et Latinorum. PHIL. Hactenus quicquid erat, quod olim a maioribus meis audivi et didici, breviter quidem, sed satis copiose intellexi: tu quid 30 nam me facere velis edissere. EPIST. Postquam te in eo genere contemplandi versatum sentio, nunc tempus esse non dubites, ad hoc divinum culmen scientiae, ubi quae philoso-

⁵⁴ corr. ex Quarta; K: donosi takoder Quarta

phiam supremam concernunt, et plane supra humanum
captum sunt, tractantur, properare. PHIL. Et patientia et
attentione maxima audiam: tuum est, ut qui ingenii mei vires
perspectas iam habeas, te meo accommodes captui. EPIST.
5 Quemadmodum totius philosophiae humanae Orphica
sapientia est gubernatrix, sic divinae scientiae symbolica
cognitio⁵⁵: sine qua licet datur in actionibus cautio, circum-
spectio, providentia: in studiis sagacitas, solertia: in conside-
10 ratione rerum omnium docilitas, ars, intelligentia, opinio:
constans tamen, pura et ineffabilis scientia, de quibuslibet
sensibilibus, non conceditur. Non enim humana disciplina,
sed divina traditione iugiter ab uno, et item ab altero recepta
acquiritur. Haec novem potissimum constat opificibus:
15 elementis, homine, receptione, partibus, loco, communica-
tione, sabbatho, portis, et symbolo. quibus absolutis paucis
tibi cognitionem nostri dogmatis aperiam. Primo obser-
vandum est divinum Geneseos iussum: Producat terra
animam viventem, ad speciem suam. Quod refertur ad divi-
nam ideam, quae et ipsa est terra viventium in virtute Dei
20 vivi eam vitam influentis, per nomen וַיִּדְא, ut cognoscamus,
autore Iosue, quod Deus vivens intra nos est, et disperdet in
conspectu nostro contrarias fortitudines: quo fit, ut omnia
vitam habentia suo instinctu sursum tendant, et omnia
vitam influentia vergant deorsum. Hic advertenda est scala,
25 seu ascensus naturae, in qua tres regiones triplicitatis, et in
singulis unus abstractionis status consideratur. Prima est
obiectum diaphanum, et sensus exterior. Secunda, sensus
interior, phantasia, et iudicium brutum. Tertia, iudicium hu-
manum, ratio et intellectus: et in singulis statur. Horum
30 omnium domina mens, recepto lumine superiori, hominis
intellectum illustrat et perficit. Quilibet autem status

⁵⁵ Dodano u K: in qua non modo literae ac nomina sunt rerum signa,
verum etiam res ipsae

duplicem habet differentiam. In primo cessat corpus, et incipit anima: unde nominatur animal. In secundo cessat anima, et incipit ratio, unde nominatur homo. In tertio cessat intellectiva potentia, et incipit mens, quae sola sine
5 controversia de foris advenit, unde nominatur Deus. iuxta oraculum: Ego dixi, dii estis. Statuum vero nomina sunt, sensus, iudicium, et intellectus. Intervallorum media ipsas species deferentia sunt, diaphanon, phantasia, et ratio. Cui rei haud absimiles proferimus tres partes: Abraham
10 superior, Isaac inferior, Iacob medius. Praeterea quandoquidem trium regionum duo intervalla sensus et iudicium duplicantur, secundum inferius et superius, et utraque ad binos reducuntur terminos: restant decem scalae gradus, per quos ad cognitionem omnium quae sunt vere, aut sensu,
15 aut scientia, aut fide, ab imo ad summum ascendere possumus. Qui secundum Abraham in libro Ietzira sic habentur: decem numerationes praeter quid, decem et non novem, decem et non undecim: intellige in sapientia, et saepe in intellectu, investiga in eis, et proba ex eis, et statue rem
20 super puritates suas, et repone creatorem in thronum suum: haec omnia non tam sunt quid, quam quo. Suprema vero mens in homine aliud quid est. Quippe sicut Deus in mundo, ita mens in homine inter decem Sephiroth regni gerit diadema: quae sola divina est, et sola extrinsecus homini
25 accidit: cuius lumine recepto virtutes inferiores diriguntur et gubernantur, quousque intellectus intelligens, et ipsum intellectum, sint unum et idem, ut scribit commentator arboris decem Sephiroth. Quod secundum magistros super verbis prophetiae, In lumine tuo videbimus lumen, ita
30 diiudicatum est: quod in influentia mentis, quae influit ex te, intelligimus et rectificamur. Quo fit, ut coelestis sapientiae ad ipsum saltem modum Matheseon participes simus. Ideo nemo ad hoc genus philosophandi idoneus est, nec quisquam vere Theologus, quantumvis senex, et qua-

cunque praeditus loquacitate, esse potest, qui vitiorum quolibet genere foedatus, superbia, hypocrisi, avaritia, odio, invidia, et saepe tecta religione luxuria, neglecto mentis lumine, affectiones sequitur animales. Hic enim est ille, qui
5 ab altitudine aversus, vergit ad declive, quantumvis eum natura erexerit in alta. Hactenus de initiis et elementis symbolicae philosophiae dictum sit. Secundum vero huius scientiae opificium est homo: quod nihil aliud est, quam post ruinam primordiale generis humani universalis
10 restauratio, quae salus occulte nominatur, qua nulla prior fuit. Hinc est quod Eleazar magister, et Salomon commentator, sacrarum scripturarum ordinarius, asseverent, Adam non insomnio correptum, quasi divinasse per afflatum propheticum de uxore post soporem, Hoc nunc os ex ossibus
15 meis, et caro de carne mea est: sed minus se costarum alterius lateris experrectus habere sentiens. Hic, ne prorsus consolatione destitueretur, tradit liber Ietzira, quod clementissimus pater continuo miserit angelum, qui annuntiaret ei, suae ruinae reparationem futuram. Manifeste enim
20 apparet, patrum praeceptores fuisse angelos notos. Quippe Adae fuit Raziel, qui summi Dei nutu expiationis ei viam ostendit, et divinum sermonem per allegoriam recipiendum exposuit. Sed praeter hunc terrenum Adam conicere possumus alium Adam, nempe coelestem, ex eo quod dixit
25 Deus, Ecce Adam fuit unus ex nobis, angelis in coelo demonstratum: unum ex Deo, quem verbo fecerat. et hic unus est cum Deo: ille vero repulsus a Deo, ex luto fictus, horto eiectus, et non modo alter est, verum etiam aliud et aliud a Deo. Rursus hic est ille, qui non tantum post orbis
30 et nostri ortum essentialiter est, sed etiam ante omnem creationem in aeternitate fuit, unus, inquit⁵⁶, Deus ex nobis antequam tempus fieret. Quod Onkelus Chaldaice sic interpre-

⁵⁶ corr. ex: in quid; K: inquit

tatur: Ecce Adam fuit unigenitus meus, sive unicus meus in aeternitate, ex me ipso. Unde angeli prohibiti ligni vitae esum futurum intellexerunt, dum Raziel Adamo missus esset, qui significaret ex ipsius propagatione nasciturum
5 hominem iustum, et pacificum virum Heros, cuius nomen continebit etiam in miserationibus has quattuor literas יהוה, qui per rectam fidem et placidam oblationem mittet manum suam et sumet de ligno vitae, cuius ligni fructus erit omnium sperantium salus. Tertium opificium, receptio ipsa
10 est patrum ad collegium prophetarum per successionem transmigrata. Nam edocta Heva per Adam de futuro salvatore, mox concepto primogenito, exclamavit: Acquisivi virum illum יהוה quas literas ab angelo iampridem receperant: et acquisitum nominavit Cain. quo viso pravo,
15 inchoata altera nativitate, generavit Abel. utrique revelata de salute restituenda receptione, ille despexit, hic ardentem amavit: qui opinione ductus, se, de quo revelationes habuit, esse ligni fructum, per quod vita creatori esset offerenda, desideravit: ideoque fratri mortem minanti, rapti de arbore
20 ramo, vel lignea clava (non enim tunc erat usus ferri, ante ortum Thubalcain, qui primus fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri) volens et libens se morti obtulit. Tandem Adam Cain⁵⁷ semine desperato, petiit aliam prolem, et impetravit dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.
25 et vocavit nomen eius Seth, quem genuit ad imaginem et similitudinem suam: ex quo nepotem suscepit Enos vocatum, quo relicto ob nullam angeli revelationem, in alium spem suam locavit. Patribus siquidem nomina nuntii Dei imponebant. sic possedi designans Cain tempus
30 praeteritum, Enos praesens, Abel parentibus luctum praebiturus. Quare magno et altissimo mysterio, generatio haec in quartam trahitur Enos progeniem, quod tempus Me-

⁵⁷ K: corr. ex: Tandem Cain; K: Tandem Adam Cain

ssiae asseritur. Dein de Jared natus est Enoch, qui ambulavit cum Deo: sed disparuit, quia abstulit eum Deus. Tertio ab hinc tractu venit Noë, in consolationem omnium publicam, illam auditu receptam salutem recta fide sperantium: qui
5 iustus et perfectus in generationibus suis, recepit in mandatis ut faceret arcam de lignis, in qua salvaret mundum. ubi Noë in lignum sperasse, sicut Iob dicens, Quia est ad lignum spes. certioresque factos concludimus, quod in ligno vita homini fuisset promissa. Erant autem filii Noë, Sem, Ham, Iaphet:
10 ex quibus futuro Dei servo Sem, in quo salutem prae caeteris sperabat, ita benedixit: Benedictus יהוה Sem: notum faciens, quod futurus erat Sem servus Dei, ut scribit Rabi Moses Gerundinensis. Hinc desiderium pii patris fuisse dicimus, ut fieret Sem originalis peccati redemptor: cuius tempus cum
15 non advenisset, Iophiel Sem annuntiavit. Quo fit, ut cogitationes suspensae fuerint, usque in annos Abraham: cui peculiaris angelus et familiaris Zedkiel eandem revelationem, quam Adae protoplasmati Raziel, tradidit. ac genito Isaac, de quo cum ei iussisset Deus, ut unigenitum tolleret, quem
20 diligebat, Isaac: et eum in excelsa Moriae quodam monte super ligno immolaret, incredibili gaudio et laetitia exultavit, divinae promissionis memor, qua pollicebatur ei Deus his verbis: Statuam (inquit) pactum meum inter me et te: et inter semen tuum post te, in generationibus suis foedere
25 sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te, atque in te benedicentur universae cognationes terrae. Unde, nisi Isaac recepisset a patre suo, traditam humanae salutis revelationem, non tanta benevolentia se obtulisset morti. qui ne seipsum forte salvatorem illum crederet, per angelum Raphaëlem vox ipsa Dei super Isaac coelitus delapsa est:
30 Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae. Ex quo Esau et Iacob geniti: atque hic ab angelo Peliel edoctus, in aliud saeculum divina revelatione reiecit, dicens: Congregamini, et annuntiabo vobis quid continget in postremo dierum: Non

auferetur sceptrum de Iuda, et legislator de femore eius, donec veniat Silo, et eidem congregatio gentium. Post hos patriarchas magnus ille Moses, non sua sponte morti se obtulit: sicut quondam Abel, sicut olim Isaac: sed renuit, et
5 a cura populi se abstrahere voluit: qui, etsi nosset se non esse de familia Iudae ortum, sed de domo Levi: nec natum in postremis dierum, nec Silo: de omni tamen ratione atque modo restaurandi originalis casus, satis superque institutus ab angelo suo Metatron fuit. Quartum opificium versatur
10 circa partes symbolicae philosophiae. Hac quippe deputationis ordinatione, a cultoribus quadraginta duarum divini nominis literarum tradita, dicentibus (Dilectus sursum, et desideratus deorsum,) et haereditans duos mundos, praesentem atque futurum mundum elicimus. Siquidem omne
15 studium, omnem operam, omne consilium, laborem et diligentiam, universam quoque mentis suae intensionem, contemplatio symbolica, felix illa atque beata, a mundo sensibili finaliter ad mundum intellectualem transfert, et traducit. Actio vero symbolica in mundo sensibili permanet,
20 atque animam universi huius mundi non transcendit. Quod si quandoque licenter ad Deum et beatos spiritus pergat, non tamen Deum ipsum, ut immanentem et absolutum accedit: sed ut opificem, causamque eorum, et circa sua creata occupatum. Angelos autem ad ministeria quotidiana,
25 divinaeque voluntatis affectus exequendos mancipat, altissimarum rerum contemplationes ad hunc inferiorem mundum semper referens. Quanto itaque anima corpori praefertur, tanto illa huic anteponitur: quam Patres Anagogicam institutionem appellant. Sicut Ezechielis rota in rota, cum
30 suis quibuscunque involutis, visa est una esse similitudo gloriae Domini: et secundum rabi Saadiae in libro Amunoth, sicut vitellus in medio ovi: et secundum Phorcensem, instar alboris ovi unius, testaceo firmamento contenti, vitellum ipsum inglomerantis: ita primus ille mundus intelligibilis

secundum implicat, ut tota virtus eius inde gubernetur. Quo fit, ut constringantur utrique vinculis concordiae, et saepe tam suas quam compraehensorum naturas et appellationes mutua sibi liberalitate condonent. Quemadmodum in
5 sensibili mundo sphaerae novem moventur ab empyreo immobili, cui Metatron assidue praeest: sic in primo, novem angelorum chori moventur ab immobili Deo. Similiter in immobili silentio cunctorum creator, primo simul omnia creavit, postea novenario sermone ad proprias singula
10 quaeque distinctiones commovit. Quintum opificium est de duplici loco, paradiso et inferno. Pro duplici autem hominum conditione, spirituali et corporali, ac pro duplici mercedis retributione, duplex est paradiso. alter, in quo speculatio illuminans est sita, hoc est, vivificans, quam
15 Scholastici cognitionem Dei intuitivam appellant, ut quae contingat animae separatae per lumen gloriae, ac a maturissime pensitantibus sola esse beatifica probetur. alter, in quo contemplatio quae non sit, illuminans vocatur, quae fit per species connaturales, et non est beatifica: illa
20 communiter coelestis, haec terrestris nuncupatur. Nunc itaque, quando clara Dei visio, et perpetua summae divinitatis fruitio, pro suprema hominis parte intellectu et voluntate beatis donantur, idcirco iure optimo ea nisi in supremo mundo contingunt nemini: nec antea apprae-
25 hendit⁵⁸ hanc intuitionem quisquam, nisi separata anima eius ab eo. Quare secundum Ramban Gerundensem in Exodo, mortali homini si quando Deus videri dicitur, id per angelum fieri putatur. Simili modo duos tartaros esse deputatos deprehendimus, superioris et inferioris mundi,
30 ad torquendum nociva corpora in tempore, ac animas pravas

⁵⁸ K: apprehendit

in aeternitate, quibus commune nomen inditum est ארעא⁵⁹
hic est tartareae poenae locus, qui praeter cetera septem
immaniora durissimarum poenarum receptacula, criminum
reis iusto Dei iudicio destinata, comprehendit, quae Ioseph
5 Castiliensis in Horto nucis sic numerat: Quoniam, inquit,
in eo sunt gehenna et portae mortis, et umbra mortis, et
puteus interitus, et lutum fecis, et perditio, et fovea. Haec
captivitas est, ut peccata noxiorum maneant, ut iustos aequa
comitentur virtutum praemia, et iniquos debita sequantur
10 vitiorum tormenta, mors et horror: ita tamen, ut iusti etiam
in morte dicantur viventes, et maligni etiam in vita sua
mortui. Sextum opificium est, de communicatione mundi.
Homo enim μικρόκοσμος, et mundus sensibilis ille magnus,
communicant in Metatron, qui est intellectus agens primi
15 mobilis: unus cum natura coelesti, tanquam inferiori. et cum
natura angelica, tanquam superiori. Mundus autem
supremus, cum mundo tertio incomparabili, et super-
supremo, communicant in anima Messihae, quasi essentia
quadam utrinque, et angelico et divino mundo, continua.
20 Nec aliquo interstitio anima משיח et אלהים distant: sed hic⁶⁰
fons aquarum viventium, illa rivus vitae. Hinc mundus
corporeus est, qui primum constituitur ex coelis, et coe-
lestibus: secundo, ex elementis et elementatis: tertio ex
natura humana et singulariis hominibus, Latinis parvus
25 mundus nuncupatus: qui cum sit animatus, illustratur
mente propria, quae dicitur Metatron. Porro mundus
supremus intelligentiarum separatarum est, qui et
speciebus plenus, et formis, et mentibus solutis, et angelis,
complectitur, ambit et regit ipsa משיח anima, quae apud

⁵⁹ Oblik koji se nalazi u tekstu nije identificiran u vezi s kontekstom. S obzirom na to da je Tartar - podzemlje, riječ je aramejski pročitana kao *zemlja* pri čemu je promijenjen jedan konsonant. Ta riječ može biti upotrijebljena i kao prilog u značenju *dolje*. U tekstu stoji ארעא.

⁶⁰ K: haec

symbolistas ideata idea omnium vitarum, ad quam refertur
omnis vitalitas individualis, specifica, et generifica. Tertius
est Deitatis, qui constituitur ex eo quod Seraphin
vocaverunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus יהוה. dicitur in
5 Deuteronomio, Magnus, id est ante creationem: potens, id
est in creatione: terribilis, seu potius reverendus, id est post
creationem. Et hic est unus, imo magis proprie principium
unitatis: cuius emanatio est, spiritus, verbum, vox. Sic enim
rabi Azariel in commentario sanctitatis dicit. Ex spiritu
10 producit verbum, atque vox, non per apertionem
labiorum, et non per sermonem linguae, nec anhelitu
hominis. Et hi tres (ut in lib.[ro] Ietzira⁶¹ de creatione legitur)
unus est spiritus, quia unus Deus. Unde iuxta Abraham
patrem nostrum, vox, et spiritus, et verbum: et hoc est
15 spiritus sanctus, duo spiritus ex spiritu: quorum proportio,
iuxta rab Hamai in libro de speculatione, in uno uniente et
unito assignatur. Hic itaque tertius mundus in aeternum et
ultra extenditur, nec concavus, nec convexus, nec carinatus,
nec superficiem habens est. Unde ex eo quod legitur in libro
20 de Fide et expiatione, quod producens ens de non ente,
quoad rem non entis, et non ens est in ente, quoad rem entis,
infertur, istud omnem nostrum intellectum transcendere.
Non enim possumus contradictoria in suo principio com-
binare via rationis: siquidem per ea quae nobis manifesta
25 sunt incedimus, et longe ab hac infinita virtute cadentes,
ipsa contradictoria per infinitum distantia connectere simul
nequimus. Sed huius rei intellectus, patet ex primo capite
Occultorum nostrorum. Septimum opificium de sabbatho
instituitur, quod est secundum symbolum in porta lucis,
30 cap.[ite] 2. Mysterium Dei vivi. extat siquidem symbolum
mundi superioris, ubi cessat omnis labor. et recte gemino
dicendi usu legibus indicitur, quinto Deuteronomii:

⁶¹ corr. ex lezira. K: Ietzira

5
10
15
20
25

Observa diem sabbathi. et 20. Exodi: Memento ut diem sabbathi sanctifices. illud iuxta mundum inferiorem, hoc iuxta mundum superiorem: hoc affirmative, illud negative. Quare proprie sabbathum est nota divini servitii, quo sensus et ratio absolvuntur ab occupationibus materialibus, quantum permittit humana imbecillitas: et ἐνέργεια mentis alligatur occupationibus formalibus, ad considerandum quae sursum sunt. Clare et divine Moses Gerundinensis, in Exodo sabbathi habet rationem. unde duo sabbatha (ducti scripturae testimonio Ezech.[iel] 20. Sabbatha mea dedi eis) elicimus: contra David Kimhi, qui sub hoc plurali generaliter duntaxat uno vocabulo singulas feriarum species, in lege numeratas, Deum nobis exprobrare voluisse sentit. Sed nos etiam peculiari hoc nomine datum optimum, et donum perfectum, a Deo nobis concessum, quod in porta lucis nuncupatur. Haec est hebdomada⁶² superna, quae vocatur Iobeleus: unde omnis remissio, propitiatio, et infusio gratiae descendit. Aliud enim est sabbathum quietis, aliud sabbathum sabbathorum, quo animae humanae omnes purae, reiecta labe, tandem redibunt liberae ad hereditatem patrum, et mittentur in possessionem veram atque propriam, quam acquisierunt et retinent per animam משיח, de tribu Iuda, septimi ab Abraham patriarchae, procuratorio nomine, in horizonte mundi supersupremi, iuxta scripturam: et supra Iobeleum⁶³ mittet radices suas, Ierem.[mia] 17. hoc est, per ספר⁶⁴ ascendet per angelos⁶⁵ ad

⁶² corr. ex heptomada; K: hebdomada

⁶³ Na navedenom mjestu u Jr. 17,8 stoji יובל, tj. juval što znači: potok, a tako je i prevedeno u hrvatskom prijevodu Biblije. Ta riječ ima iste konsonante kao i riječ jovel, što znači jubilej, odn. pedeseta godina. Skalić u stvari tumači to mjesto u Jeremiji na drugačiji način no što se danas tumači.

⁶⁴ Skalićev je hebrejski slog ovdje možda netočan. Pročitano je kao sefar - broj. Druga mogućnost čitanja istih konsonanata bila bi sefer - knjiga. Treća mogućnost bila bi da je riječ netočno napisana i da treba biti ספירה sefira ili u množini ספירות sefirot.

⁶⁵ K: angulos

locum destinationis suae, quod est flumen Dei repletum
aquis. Octavum opificium est de portis intelligentiae, et de
admirandis sapientiae semitis, et numero angelorum. Portae
intelligentiarum sunt quinquaginta, omnes traditae Mosi,
5 praeter unam, quibus omnis lex divina comprehenditur, et
tota scientia, vel sensu literali, vel allegorico, per dictiones,
vel Arithmeticas supputationes, vel Geometricas literarum
figuras descriptas seu transmutatas: vel harmoniae
consonantias ex formis characterum, coniunctionibus,
10 separationibus, tortuositate, directione, defectu, supera-
bundantia, minoritate, maioritate, coronatione, clausura,
apertura et ordine resultantes, quae aperiunt omnium
creaturarum cognitionem. Sunt enim cunctae res univer-
saliter in quinas condiciones distributae⁶⁶, quarum quaelibet
15 decem recipit considerationes⁶⁷: qui tam essentiarum quam
intelligentiarum modi per quinque multiplicati, quinqu-
aginta ianuas aperiunt, per quas intramus in creaturarum
penetralia illa, eminentibus notis in operibus sex dierum
designata. Itaque qui scierit, quid sit denarius in Arithmetica
20 formali, et cognoverit naturam primi numeri sphaerici, sciet
secretum quinquaginta portarum intelligentiae et magni
Iobelei, et millesimae generationis, et regnum omnium sae-
culorum⁶⁸. Hac de re peculiarem instituemus tractationem
suo loco. Ceterum antequam esset creaturarum quicquam
25 iuxta symbolicam doctrinam, nihil erat nisi Deus, et nomen
eius יהוה, et sapientia eius quae sola haec tria praesens sa-
pientia continet. Quo fit, ut porta prima creationis Mosi ne-
quaquam aperta, legem divinam tantum per novem et

⁶⁶ Nakon riječi distributae u K: ubačeno u tekst: videlicet in elementa, elementata, animas, corpora coelestia, et supercoelestia incorporea. quarum quaelibet decem recipit considerationes: scilicet genera generalissima, genera specialia, species generales, species specialissimas, res individuales, quae ulterius constant materia et forma, vel quibusdam utriusque proportionalibus, contrahunturque; singulariter differentiis, proprietatibus, et accidentiis.

⁶⁷ U K: nedostaje tekst od riječi - quarum - do considerationes -

⁶⁸ U K: umetnut tekst, v. Dodani tekstovi III.

5 quadraginta scrutatus est: Iosue una minus: Salomon
 duabus, qui (ut rabi Akiba explanat) laboravit super illa ad
 reducendum eam, sed non erat potens. Hinc antiqui patres,
 ut rabi Iacob Cohen dicit, ambulaverunt per vias multas, ut
 tandem starent in semitis istis, quae dicuntur admiranda
 sapientiae, tradita per Zadkiel Abrahae patri nostro in tradi-
 10 tione foederis, quarum numerum et familiaritatem literae
 conciliant. Scriptum est enim in libro Ietzira: decem nume-
 rationes Belima, et viginti duae literae iunctae, faciunt
 consurgere numerum semitarum. Quod etiam literarum
 collegium, si quinquaginta portis diligenter applicuerimus,
 inde septuaginta duorum angelorum felicem seriem
 comperiemus. Cum enim angelus sit alteritas, sicut Deus
 identitas: prima vero alteritas sit binarius: recte opinabimur,
 15 quod etiam ex binarii multiplicatione cubica, numerus
 angelorum oriatur. Octonos tandem inde provenientes in
 novem choros distribuendo, oriuntur 72., similiter per
 choros ad cubum, per cubum ad tetractyn, ab ea ad binarium,
 angelicam naturam significantem, et inde ad unitatem Dei
 20 Optimi Max.[imi] revertitur. Similiter per angelos Deo⁶⁹
 iungimur ineffabili tetragrammato יהוה, in quo primum
 resplendet angelorum istorum nobilissima natura. nam si
 ex quattuor literis, quater posuerimus י, literam, sicque
 descendendo ה ter, ו bis, ה semel, mox surget 72. summa
 25 expositoria nominis Dei inenarrabilis et incomprehensibilis,
 quae dicuntur unum nomen symbolicum, ob intentionem
 significandam unitatis Dei: quibus שמ המפרש, id est, nomen
 illud expositorium magnum summi Dei constare perhibetur.
 Praeterea diligens symbolicae doctrinae scrutator rabi
 30 Ioseph Ben Carnitol, in libro portarum iustitiae inquit:
 Divisit Deus terram iuxta numerum angelorum eius, duo
 nomina divina repraesentantia יה et אל, quorum alterum, si

⁶⁹ K: Dei

quotcunque septuaginta duorum nominum coniunxerimus
in signo, vocabulum oxytonon efficiemus. et relictæ sunt
omnes gentes traditæ in potestatem septuaginta
præfactorum, hoc est, principum angelorum. Iam facile
5 deducimus, hos esse angelos fortes universæ terræ: per
quos, cum sint angeli divisionis, facile ac non inaniter
existimabimus, Mosen manu sua mare usque ad siccum
divisisse. Ac in eiusmodi sectione et liberatione filiorum
Israel accessisse Mosi septuaginta orbis terrarum angelos:
10 at duos illos columnares in mysterium salutis fuisse. Haec
nobis plane contingit ex ineffabili nomine יהוה, per
septuaginta duo nomina, quæ ex sacra scriptura colliguntur
explanate. Exodi decimoquarto a versu, Tollensque angelus,
usque ad finem ubi legitur, Divisaque est aqua⁷⁰. Iis
15 symbolis adsunt angeli hominibus, ad laudem et gloriam
ineffabilis Dei. Nonum opificium et ultimum est, de
symbolo angelorum. In spiritu enim et veritate, quales
habent linguas nostræ mentes, tales habent linguas angeli.
Et sicut spiritus divini linguis angelorum loquuntur: ita
20 spiritus humani auribus mentium auscultant. Quo fit, ut
non ea necessitate sibi nomina imponant, quod velint palam
nominari et clamari: sed signacula memorativa tradunt,
quod cupiant a nobis recordari. Quare non omnis vox divina
in voce latet. Symbola igitur hæc frequentem⁷¹ angelorum
25 memoriam poscunt, quorum sedula reminiscentia nos in
amorem Dei mutuo traducit, et vicissim amor in
rememorationem. Idcirco nomen יהוה nobis Deus condo-
navit, non ut illo se vocemus, quod est ineffabile, recteque
ἀνεκφώνητον, id est, non vocabile appellatur. Creator enim
30 quaerenti Mosi, Quod est nomen tuum? respondebat, יהוה:

⁷⁰ U K: nakon riječi divisaque est aqua ubačen je tekst: et psalmodia septuaginta duorum versuum alibi a nobis, in primis vero in oratione anacritica Psalmorum explicata.

⁷¹ corr. ex frequentes K: frequentem

hoc est, nomen meum in aeternum, et hoc memoriale meum
in generatione et generationem. Unde patet, nobiscum non
esse nomen, sed figuram memorialem duntaxat. Hinc etiam
manifestum est, angelorum voces imagines esse, qui
5 spirituali voce nominentur, et non clamore, ceu sacerdotes
Baal: quibus ab Helia propheta 3. Regum 18. dicitur: Clamate
voce maiore: forsitan Deus in diversorio est, aut in itinere,
aut certe dormit, ut excitetur. Sane debemus moveri,
incitarique ad veram fidem, spem, et charitatem Deo
10 gratissimam, et diligenti ἀνακεφαλαιώσει in divinorum
amorem transire, ac ut vetustissimus Hebraeorum Moses
Aegyptius tertio Perplexorum libro docet, intentionem
caeremoniarum recte observare, quae eiusmodi esse debet:
nempe, memoria Dei frequens, et timor eius, et amor eius,
15 et observatio mandatorum omnium, et ut credatur in Deum
altissimum, id quod necessarium unicuique est.

Sed abusus fallaces, Philomuse, vitare cura et diligentia
omni oportebit: alias hoc consortio nemo se dignum, quin
potius indignum reddet⁷². Haec sunt quae tibi paucis erant
20 de symbolica Philosophia narranda. intellexisti ne? PHIL.
Intellexi probe: et tantum delectatus sum hac lectione, ut
quasi in ecstasin raptus, vix redire possim, cupiens perpetuo
eiusmodi convivari hospitibus, Aliud non dicam, quam tu
mecum agas pro tuo arbitrio: non enim sum in Elyseis
25 campis, sed in ipso paradiso coelesti: de quo superius fecisti
mentionem, ubi reficior ambrosia et nectare. EPIST. Mihi
placet summopere, quod ea attentione audiveris, et tanta
aviditate haec complexus sis: non dubito: te nostro consortio
utilem, et tibi nos haud ingratos fore. PHIL. Adsum, age
30 iube, facturus quicquid volueris: et si placet, perge. EPIST.
Hac parte finita, breviter tibi enarrabo nostra dogmata.
Totius divinae philosophiae quattuor sunt partes⁷³. Prima

⁷² U K: umetnuto u tekst, v. Dodani tekstovi IV

⁷³ Dijalog od riječi: -Haec- do -quattuor sunt partes.- ispušten je u K:

est, quae tractat de Deo, secundum rationem suae naturalis perfectionis. Secunda, de Deo, quatenus eius potentia relucet in effectu creationis. Tertia, de Deo, quatenus claret eius sapientia in opere redemptionis. Quarta, de Deo, quatenus
5 eius bonitas seu clementia refulget in fructu glorificationis. Quod ad primam attinet, fruimur solo Deo, et in eum credimus, trinum re ipsa in personis distinctum, quarum quaelibet⁷⁴ Deus: et tres, unus Deus: et una essentia, sine
10 omni compositione, simplicissima, et incommunicabilis: quae nec generat, nec generatur. Pater volens et potens genuit filium, nec voluntate praecedente, nec natura cogente coaeternum: uterque simul amorem producunt, ut donum aeternaliter, et datum temporaliter, missum visibiliter, et
15 invisibiliter: et sunt una charitas, qua nos diligunt, et nos ipsos, coaequales aeternitate, magnitudine, potentia, et ceteris attributis, in identitate rei et naturae: quorum plurima sunt, quae sic de Deo dicuntur, et persona utriusque numero conveniens. Quo fit, ut nil obstet, quo minus nomina numeralia in divinis admittantur, etiamsi (ut aiunt)
20 ly persona dicat substantiam proprietate personali, quae varia appellatione nominatur, notione non personali. Praeterea Deus etiam ut principium relative ad creaturas refertur, unus sapientia ingenita, habens eandem proprietatem cum persona: a quo praescitur futurum, in
25 quo scientia omnia sunt, non tamen in eius scientia, qui in rebus omnibus est Deus, praesentia, potentia, essentia: cuius quoque scientia causa omnium rerum est, quae adauget res non Dei, sed nostram scientiam, qua similiter ab aeterno nonnullos praedestinavit, nonnullos reprobavit, ex
30 praesentia illorum finali. Omnipotens est, potentia indeterminata, seu (ut aiunt) illimitata⁷⁵, qua meliora etiam

⁷⁴ corr. ex: quaelibet; K: quarum quaelibet

⁷⁵ K: illuminata

facere potest quam fecit, quo ad ipsam additionem. Eius voluntas differt ab essentia, ratione non re: quae placens in omnibus impletur, tam in nobis, quam de nobis: cui voluntatem nostram conformare tenemur, in ratione volendi
5 ex charitate. Quod vero secundam concernit partem, In principio creavit Deus coelum et terram ex nihilo, simulque cum coelo empyreo et materia angelos: quorum alii diffformes et personaliter distincti in essentia, ex quibus maior cecidit Lucifer, qui cum suis sociis voluntate obstinata
10 malefecit: alii perfecti et beati post conversionem, gratia cooperante donati, proprio corpore carentes, distributi in tres hierarchias, et novem ordines, ad ministerium Dei, et custodiam hominum delegati. Itaque ipsa materia informi a principio creata, lux tandem facta est, firmamentum in
15 medio aquarum: et post omnia homo, in quem sicut in angelum, imaginem et similitudinem suam posuit Deus, eumque praefecit paradiso terrestri: ubi de costa Adae Evam formavit, mortalem quodammodo et immortalem factum: cuius procreatio fuisset in statu innocentiae, sine
20 corruptione et pruritu. quem videns diabolus per obedientiae humilitatem posse eo ascendere, unde ille per superbiam corruerat: in specie serpentis, ex superbia et invidia tentare humanam naturam, in ea parte ubi debilior videbatur, Dei permissione aggressus est. Hinc peccans Eva,
25 principali peccato inobedientiae, libero tandem arbitrio, spontaneo appetitu declinavit. Gaudet autem homo non libertate sola, sed gratia quoque operante et cooperante, mediante qua virtus in homine, solo Deo operatur. Hinc de virtute liberi arbitrii Pelagi opinio heretica est: et parentes
30 nostri ideo gratia et virtutibus eguerunt, quoniam eisdem spoliati erant. Quo fit, ut peccatum primi hominis in omnes, quoad culpam et poenam, transierit, non quidem secundum animam quae infusa est, sed quoad corpus, proveniens ex

traduce, a quo purgat baptismus, et in originali decedentium status decernitur poenalis: quoniam origo mali est natura bona. (de hac materia Eulogus plura continet.) Hinc multiplex peccatum Deus mutuo, scilicet unum per aliud,
5 iuste punit, ipse enim est auctor omnium bonorum, quod ex fine bono manifestum est: perinde ac ex fine malo iudicatur omnis actus exterior, inordinatus, malus, licet non idem de bono. Quare infidelium non est in omni actu peccatum. Peccant enim homines voluntate et operatione,
10 tanquam uno peccato, ex quibus spiritus blasphemiae sceleratissimum peccati genus est. hacque potentia, vel alia peccandi, utitur homo quam habet a se, vel a diabolo. Tertia pars Theologiae in his continetur. Cum advenisset tempus plenitudinis gratiae, assumpsit filius (non pater, nec spiritus sanctus)
15 sanctus) totam humanitatem, carnem et animam in matre purgata omnino in sua conceptione, de spiritu sancto, non humanam personam, sed humanam naturam, factus Deus homo, una persona in duabus naturis: cuius caro adoranda pari cultu cum verbo est, non tamen nuda: qui secundum,
20 quod homo est, nec persona, nec aliquid est, in quantum deinde Christus non simpliciter creatus, nec possibilis peccare: qui plenus gratia et sapientia, ut caput, in quo omnium habitualis fuit scientia, in eo quoque poenales defectus, secundum animam et corpus convenientes
25 fuerunt: imo secundum eos et mortalis extitit⁷⁶, (hinc est quod non pro se, sed sua sensualitate oraverit) per quam nobis meruit redemptionem a diabolo, a peccato, a poena, et regni reserationem, sibi autem impassibilitatis atque immortalitatis gloriam: per hanc inquam alligavit sathanam,
30 vicitque, nos liberando, non potentia, sed iustitia. Mortuus vero est Christus per separationem duntaxat animae a carne, et non animae a deitate. unde potest aliquo modo excusari

⁷⁶ K: mortales

sententia Lombardi, etiam citra offensionem modernae sententiae. Praeterea cum eum plenitudinem gratiae fateamur, utique et virtutum: quare et fidei, qua formata homo bonus atque iustus est: et spei, quae visione nulla constat, aeternorum futurorumque bonorum: et charitas, dilectio nempe 5 Dei et proximi, eadem, sed ordine. Primo siquidem Deus propter se diligitur: proximus vero ad modum sui ipsius. ad cuius proportionem simul inimicos atque amicos diligere, maius meritum est, quam unicum tantum. Quae 10 quidem dilectio, quemadmodum perfecta manet in viatore: sic incipiens amitti potest, continens in se reliquas virtutes et dona spiritus sancti, quae a virtutibus non differunt, solo respectu a se invicem distantes. Ideo quisquis unam habet virtutem, omnes gratuitas sibi connexas habet. Porro 15 quoniam omnia praecepta et mandata Dei, duo principalia sunt: ex quibus Decalogi praecepta pendent, quorum tria ad cognitionem et dilectionem Trinitatis prima tabula, reliqua septem secunda continet, ad dilectionem proximi pertinentia. Quarta et ultima pars versatur circa sacramentum, quod est signum et invisibilis forma gratiae Dei, 20 numero perfectionis inclusum, quoad signaculorum figuram, tubarum, stellarum, panum, oculorum, lucernarum, lotionum Naaman: virtutum nempe fidei, spei, charitatis, iustitiae, perseverantiae, (quae est fortitudinis complementum) prudentiae, temperantiae. Sed revera, sacramenta sunt tantum tria⁷⁷. Intellexit in haec? PHIL. Utique. EPIST. Itaque diligenter cave, mi Philomuse, ne quid praeter veram Redemptoris nostri unici Domini IESU CHRISTI, doctrinam, aut agas, aut cogites. Melius enim 25 esset, te viam veritatis nunquam cognovisse. Quippe, ut 6. ad Heb.[reos] continetur, impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaveruntque donum coeleste, et participes 30

⁷⁷ Od riječi: -sed revera- do -tantum tria.- ispušteno u K:

facti sunt spiritus sancti: gustaverunt autem nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt: rursus renovari ad poenitentiam. Quam quidem quaestionem quam Eulogus abunde tractet, nunc praetereo: ac
5 hortor summopere, ne iam illuminatus labaris. quod fiet, cum primum verum sensum Scripturae inique et perperam scrutari perrexeris. tum enim, iuxta Ezech.[iel] 33. iustus a iusticia recedes, faciesque iniquitates, et morieris in eis. Quoniam, ut Ioan.[nes] 2. epist.[ola] inquit, Omnis qui
10 recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet, sine quo nulla veri operatio consistere potest. Quapropter cavendi sunt, mi Philomuse, fastus, pompa, et inanes actiones, praeter institutum Christi: quae cum primum irrepserunt in ecclesiam Dei, insipientia et
15 obstinatio subsecuta est, iuxta Apostolum ad Rom.[anos] 1. Obscuratum est, enim insipiens cor eorum. dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, non probaverunt siquidem Deum habere in notitia: ideo tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, repletos omni
20 iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate: susurrone, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obediens, insipientes, incompositos, sine affectione, ab-
25 sque foedere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei non cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Talia autem, o Philomuse, nec nominentur inter nos,
30 contentos sola et vera doctrina Christi, qua sola consequimur vitam aeternam, et in coelestium recipimus consortium, reddimurque cives et domestici Dei: fugientes, velut Sireneos scopulos, doctrinam Pharisaeorum et

pseudoprophetarum, comessationes⁷⁸, ingurgitationes, et cupiditatem, radicem omnium malorum, ut Apost.[us] I. ad Tim.[otheum] 6. inquit: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis,
5 docentes, et non acquiescentes sanis sermonibus Domini nostri IESU CHRISTI, et ei quae secundum pietatem est doctrinae: superbi, et nil scientes, languentes circa quaestiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae,
10 conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quaestum esse pietatem. Est autem quaestus magnus pietas, cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quod nec auferre quid possumus. Habentes autem
15 alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Nos autem, o Philomuse, Apostolum imitemur: haec fugiamus: sectemur
20 vero iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam et mansuetudinem, certemus bonum certamen fidei, apprehendamus vitam aeternam, in qua vocati sumus, et confessi bonam confessionem coram multis testibus. Quapropter praecipit nobis Apostolus coram Deo, qui
25 vivificat omnia, et Christo IESU, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut servemus mandatum sine macula irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri IESU CHRISTI: quem suis temporibus ostendet beatus⁷⁹ et solus potens Rex regum, et Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec
30 honor et imperium. PHIL. Epistemon, superius audivi

⁷⁸ K: commesationes

⁷⁹ corr. ex: bratus; K: beatus

quidem breviter totius Theologiae conceptum: at nunc primum quasi a somno expergefactus, ad aeternam felicitatem iter conspicio: quod nondum ex philosophorum turba, et disharmonia opinionum potui elicere. Hoc itaque est, Epistemon doctissime, quod et me et multos alios ad contemplandum movit. Spretis siquidem omnibus facultatibus, gratia cognoscendi hunc finem, nos ad graviora studia contulimus: et quoniam sic Deo placuit, ut tandem ad te devenirem, oro perge. Postquam enim docuisti, omnes scientias ancillas esse et famulas huius divinae contemplationis: non dedigneris, quaeso, praeter ea quae docuisti, breviter ostendere, quae nam sint quibus hunc finem aeternae beatitudinis consequi possumus. EPIST. Procul dubio, mi Philomuse, satis ex Apostolo audivisti, quid te atque me facere oporteat, et omnes qui cupiunt recipi in numerum sanctorum et domesticorum Dei: nempe ita circa Christi verbum esse occupatum debere, ut ne vel latum quidem digitum ab eo recedere videamur. Primo, vera fide in unum Deum, patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae: prout in prima et secunda parte Theologiae continetur. Secundo, fide solida et perfecta in IESUM Christum, Deum et hominem: ut in tertia parte habetur. Tertio, fide constanti in Spiritum sanctum: ut in quarta dicitur. Prima pars creationis, secunda redemptionis, tertia sanctificationis nuncupatur. Praesertim autem in hac scias, Spiritum esse Deum: eiusque officia et dona, quo regitur sola vera Christiana et Apostolica⁸⁰ Ecclesia, distincta ab hypocritica et antichristiana⁸¹, quae diabolo auctore gubernatur, continens constitutiones et ceremonias⁸² impias. In Christiana autem et vera Ecclesia, ministrorum electionem Spiritus sanctus dat, vocat, ordinat, et mittit: ideoque ceremonias pias et utiles praeparat, atque

⁸⁰ K: Apostolica Romana Ecclesia

⁸¹ K: antichristiana, haeretica

⁸² K: novas et

peccatorum remissionem tribuit: cuius signacula sunt ipsa sacramenta, quoddam eorum infantibus commune, quoddam expiatorium et gratulatorium. praeter ea aliud est, quo potestas clavium, sub qua est, vera excommunicatio
5 continetur. Huc pertinet⁸³ examen conscientiae bonae et malae, poenitentia, et eius partes, confessio quadruplex: satisfactio veteris Ecclesiae⁸⁴, regnum Christi, crux seu afflictio propter Christum, oratio, mors temporalis, resurrectio, iudicium extremum, vita aeterna.

10 Porro omnia haec sub iustitia et misericordia Dei comprehenduntur. illa siquidem continet legem divinam, peccatum, liberum arbitrium, et contritionem: haec Evangelium, fidem, iustificationem, sacramenta, media quibus talis iustitia offertur et applicatur, ecclesiam Christianam,
15 libertatem Christianam, sanctam crucem, praedestinationem, precationem, charitatem, vocationem, resurrectionem, extremum iudicium, et vitam aeternam. Huic nempe misericordiae, veritas saepissime: illi autem, utpote iustitiae, iudicium coniungitur. Sed hac de re alias
20 colloquemur. Hoc unum, ut superius memini, cave, Altum ne sapias, sed time: Initium enim sapientiae, timor Domini. Si non feceris, periculum est ne ruas, caecitateque rationis corripiaris. id quod aliis quibusdam contigit, qui dum propriis speculationibus divinam essentiam assequi non
25 possent, horribiliter lapsi sunt: veluti Basilides, qui voluit Deum esse mentem creatam νοῦν, dictam aut Abraxem⁸⁵: Gnostici, ex animarum substantia naturam Dei esse pronuntiaverunt: Anthropomorphitae Deum corruptibilis esse hominis imaginem dixerunt: Colobarsus unum verum
30 Deum statuit: cui adiunxit et alterum, utpote Saeum, et hunc

⁸³ Umetnuto u K: - impositio manuum Episcopaliū, et sacri chrismatis inunctio, item

⁸⁴ Umetnuto u K: - extrema unctio, Matrimonium,

⁸⁵ corr. ex Abraxaen; K: Abraxem

esse mundi creatorem. Simoniani, Deum mundi esse autorem abnegaverunt: Appellitae, unum Deum bonum esse, alterum malum, ex illo natum, censuerunt: Archontici, Deum legis et prophetarum noluerunt esse Christi patrem:
5 Sabellianis, patrem Deum ex Maria natum, crucifixum, et sepultum esse, placuit: Metangismonitae, filium esse in patre, non aliter ac vas in vase, iudicarunt. Has et similes portentosas opiniones devitandas, esse suadeo, si cupis sinceram divinae sapientiae adipisci et consequi
10 cognitionem, et optatam cursu contingere metam. PHIL. Cupio sane: imo non possum satis declarare, quantum desidero. Sed iam plene et abunde intellexi, quid me facere oporteat. Vitabo vitanda, non secus ac Scyllam et Charybdim: et quodcunque mearum partium esse
15 animadvertero, sedulo diligenterque curabo.

INSTITUT
ZA FILOZOFIJU

PAVLI PRINCIPIS DE
LA SCALA ET HVN, MARCHIONIS
VERONAE, &c. DOMINI CREVTZBURGI, MI-
CELLANEOBUM TOMVS SECVNDVS, SIVE CATHOLICI
Epistemonis, contra quondam corruptam ac depravatam
Encyclopædiam Libri XV.

*QVIEVS VNIVERSVS ORBIS, TAM SACRARVM QVAM
profanarum disciplinarum, omninq; omnium Letterarum & Phi-
losophiæ doctrina catholice declaratur.*

Censura ac iudicio multorum Catholicorum & doctissimorum virorum, Magistri
ni, Treuirensis, Monasteriensis, Leodensis, &c. Principum: nec non amplissimæ
ciuitatis Colonienfis, &c. exhibiti, & ab eis lecti, inquisiti, recogni-
ti, & ad Apostolicam litteram redacti, atq;e
approbati.

Eiusdem pro Rhomana Ecclesia, aduersus Neopiflorum vefaniam,
Oratio: eorundem censura approbata:

Quæ olim prius Dux Pruffiæ, per annos quadraginta turbulentijs erroribus intrica-
ta, & plane exaruit: quorû vniuersa Protestantium & Confessionistiarum
disciplina validissime confirmatur & præfata tuetur.

*Augetur enim Theodori Gramingii in Epistolâ & prophetiam sive
Litteram Gramingii Oratio.*



COLONIAE
Ex officina Theodori Gramingii.
ANNO M. D. LXXI.

Naslovna strana Skalićeva djela *Miscellaneorum tomus secundus*,
Colonial 1571. u kojem je objavljeno drugo izdanje *Epistemona*.

I

/Epistola nuncupatoria:/ REVERENDISSIMIS,
ILLUSTRISSIMIS, ET AMPLISSIMIS, SACRI RHOMANI
IMPERII PRINCIPIBUS, D.[omino] DANIELI
ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO, ELECTORI, ac
5 Germaniae Archicancellario: D.[omino] Iacobo
Archiepiscopo Trevirensi, Electori et Galliae atque regni
Arelatensis Archicancellario: D.[omino] Ioanni Episcopo
Monasteriensi, Osnabrugensi, atque Paderbornensi
Administratori, antistitibus ac praesulibus optimis,
10 dominis suis clementissimis, Paulus princeps de la Scala et
Hun etc. se suaque studia et officia supplex comendat.

Cum animadverterem, Reverendissimi atque Illustrissimi
Principes, silentium et dissimulationem meam tantas mihi
calamitates importasse, ad extremum vobis confessus sum,
15 de universis meis aerumnis et miseriis, et tam magnis
vulneribus innocentiae meae salutaris fuit medicina con-
fessio. Nulla enim interposita mora mihi opem tulistis, et
pro mea innocentia apud Caesarem gloriosissimum, Domi-
num meum clementissimum, per literas, ea, quae decuit
20 Principes Catholicos, et benignos erga perturbatos et fractos
animos, clementia intercessistis. Quibus intercessionibus
haud dubie perficietur, ut omnem conceptam de me animi
molestiam Caesar deponat, omnemque impietatem, quam
per juvenilem aetatem quondam provocatus adversariorum
25 insultibus, adversus se, et Catholicam Ecclesiam admisisse
videbar, singulari benignitate condonet. Si igitur in hunc
tutum ac tranquillum portum receptus fuero, et in magna
ista tempestate atque eluvione calamitatum incolumis ab
omni detrimento, salvusque permansero: est quod vobis, pro
30 summa hac vestra adversus me humanitate, acceptum refe-

ram, et gratias agam et habeam quantas maximas animus
meus capere potest. Quocirca ex animo precor Deum Patrem
Domini Nostri Iesu Christi, ut in vobis hanc mentem bonam
conservet, ne unquam de hoc recto vitae curriculo declinare
5 possitis, utque animos vestros ab omni libidinum et cupiditatum imperio prohibeat, (quibus alias homines, tanquam rationis expertes, ferocitate exultant, et amentes in pios feruntur) quo sermones vestri omnes, omnesque actus recti, sancti et cum summa fide et aequitate coniuncti perpetuo
10 esse et permanere valeant: atque consilio et providentia summi moderatoris, et cunctarum rerum Domini natura in vobis omnis, omnisque pulchritudo virtutum vestrarum optime regatur conserveturque: ut nihil sit dictu tam inopinatum atque mirabile, nihil a cogitatione vestra tam remotum, et in omni memoria inauditum, quin ad Dei voluntatem
15 nutumque statim existat. In sola enim Dei Opt.[imi] Max.[imi] misericordia sita est vita et salus omnium: suae proinde solius misericordiae confidere oportet, ne peccantes veniam desperemus, praesertim cum nulla scelera aut maleficia tam magna esse possint, quin clementia Dei infinitis partibus maior sit.
20 Itaque non minus rebus adversis, quam secundis, semper vero est, cur maximas Deo gratias agamus, quando nihil nobis evenire possit, quod non magnum afferat adiumentum et salutem. Quo fit, ut cum fervore iuvenili agitarer, multa
25 inconsiderate, multa perperam, pleraque nimis audacter persecutus sim: non tamen alio animo, quam ut Clerus, abusibus renuntians, verum atque sincerum Ecclesiae Catholicae usum amplecteretur. Magnum sane mihi adiumentum et salutem attulit, quod densissimis tenebris involutus,
30 durissimaeque servituti subiectus, ac inextricabilibus Labyrinthis intricatus, fraudulentisque captionum sophisticarum laqueis irretitus, per devia et deserta, amens, sine consilio animoque latus, et fluctibus variis agitatus, unda-

rumque et ventorum arbitrio iactatus fuerim. Nebulis
namque ab oculis meis remotis, et miseriam, et calamitatem,
in qua constitutus eram, facile perspexi, et quam nudi,
quamque omnium bonarum artium Neopisti homines, vere
5 miseri, atque deplorati, egentes sint. Propterea summa cum
fiducia ad Dei misericordiam confugi, qui me omni periculo
atque calamitate liberaret, nec sineret in tenebris errorum et
ignorantiae versari. Qualis autem, et quanta sit bonitas Dei,
nemo intelligere potest, nisi hoc pacto expertus, et qui
10 beneficia ab eius liberalitate sibi tributa diligenter attendit.
Hinc est, quod ardores iuveniles, quod spiritus mendax, quod
impostor homo, quod falsa Neopistorum doctrina, quod doli
atque corruptela adversariorum meorum, quibus non modo
in me, verum etiam in scripta nostra insultare, eaque
15 depravare non dubitarunt, mihi innotuerint: hinc, quod
universa illa iam restituerim et instauraverim, atque timorem
Dei, et reverentiam adversus Deum, et verum ipsius cultum,
et vitam legum divinarum studiosam atque amantem, hoc
EPISTEMONE CATHOLICO, contra quondam per servum
20 illum nequam corruptam et depravatam, et maiore ex parte
diaboli artibus haereticam Encyclopediam in lucem ediderim,
atque ostenderim, quid in primis Deus ab hominibus
requirat, ut nimirum mansuetudinem et lenitatem animi
colant, et quantum in ipsis est pacem cum omnibus homi-
25 nibus omnium generum habeant. Quod cum praestare
arduum atque difficillimum sit: tot causae dissidiorum et
offensionum fere semper existunt: doceo his libris, summa
et sedula primum diligentia vestigandam esse viam et
rationem, quemadmodum possimus hunc pulcherrimum et
30 dulcissimum pietatis fructum capere: deinde non minore
studio contendendum esse, ut ipsum capiamus, pacemque
quaeramus et retineamus. Sed cum omnia cogitatione, ani-
moque lustraverimus, una dumtaxat ratio inveniri potest
huiusce divini boni consequendi, si divitias, honorem, vitam,

et humana omnia contemnamus, nosque in servitum Deo
pie, sancteque dicemus, atque illius gratia tutelaque contenti
reliqua caeteris aequo ac libenti animo concedamus. Haec
autem ab iis effici posse aio, quibus spiritum suum Deus
5 impertiverit, ceteri neque ea exequi, neque cum Deo, neque
cum hominibus, neque secum ipsi pacem habere possunt.
Trado ergo hoc opere quicquid unquam apud universos
Theologos et Philosophos, et in universa Encyclopaedia tradi
potuit, et in primis donum praestantissimum Dei a Deo pe-
10 tendum esse, qui solus ex omnibus et pacem, et scientias et
caetera bona liberaliter munifice, prolixique largitur: solus
homines fractos, atque afflictos calamitate et maerore, qui
misericordiam Dei suppliciter implorant, iuvat, eisque
libentissime opitulatur, et suscipit defendendos, quos homi-
15 nes deseruerunt. Siquidem vero hoc in vobis donum tam
liberale, tamque munificum appareat, vestroque hortatu
EPISTEMON veluti qui a Theologis vestris, et in primis ab
illis, qui in Societate IESU militant, viris optimis, piis et
candidis, bona ex parte et lectus et approbatus sit, tum etiam
20 Oratio pro Rhomana ecclesia huic adiecta lucem capiant:
vobis quoque Principibus liberalissimis, et omnium piorum
et doctorum virorum amantissimis hos labores meos, hunc
EPISTEMONEM, de rebus omnibus, et universis scientiis
disserentem, iure optimo deberi putavi. Hunc proinde vo-
25 bis vestro iure adscriptum accipite animo benevolo et
benigno, Principes optimi: hunc perlustrate, hincque
dispicite, non omnes qui pietatem colunt eandem vitae sequi
viam. Sunt enim, qui Rempub.[licam] capessant, seque ad
gerendas res magnas hominumque generi fructuosas
30 accomodent: sunt, qui otium praeferant, et in contempla-
tiones rerum divinarum sese totos constituent: alii ad Ius
Civile, alii ad mercaturam sese applicant, alius denique alio
aetatis degendae genere implicatur: sed quam quisque vitae
non vitiosae viam adamarit, in ea potest iustitiam, fidem,

pietatem, temperantiam praestare, Deoque charissimus esse,
qui publicanis, et militibus, servis et dominis, parentibus et
liberis, maritis et uxoribus aptissimas leges dat: quas quisquis
observaverit animus eius omnibus bonis abundabit: veluti
5 quae animos sanant, inanes timores et sollicitudines de-
trahunt, cupiditatum et libidinum flammam, ardoresque
restituunt: homines magnos, excelsos, et humana omnia
contemnentes efficiunt: pietatem, gaudium, pacem, spem,
securitatem largiuntur, et excedentibus e vita duces sunt in
10 coelum, ubi sanctis viris parata sunt praemia, quae neque
oculis cerni, neque verbis explicari, neque animo compre-
hendi queunt, ubi praeterea coeli species spectatur undique
sideribus ornata, et admirabiles astrorum ordines, ipso-
rumque dispaes conversiones et multiplices cursus, quae
15 omnia continenter laudes Dei praedicant, et omnes nationes
cogunt esse gratas, et pietatem colere, et vim divinam
admirari, eamque dominam et effectricem rerum omnium
agnoscere. Quin etiam dies diei collatus, et nox cum nocte
comparata, et ipsorum alterna accretio et diminutio,
20 certusque ordo, perpetuaque constantia clamant atque
testantur, tantorum operum laudem fortunae ac temeritati
non esse tribuendam, sed aliquem praeesse, qui haec
universa ab initio constituerit, et sempiternis saeculorum
aetatibus omnia moderetur atque conservet. Denique ubi Sol
25 omnium rerum, quae aspectu sentiuntur, praeclarus ac
divinus, et qui homines tanta admiratione afficit, dux et
gubernator siderum cunctorum, et omnium rerum cadu-
carum salus et conservatio: qui candore suo splendidissimo
tenebras fugat, rebus calorem affert, coelum, maria, terras
30 exhilarat, et insatiabili quadam laetitia et voluptate omnium
animantium oculos atque animos complet, omnia terrarum
opera flammis radiantibus lustrat, et mundo salutarem
largitur, et maxime vitalem calorem, cunctas naturas augen-
tem, nutricantem, sensuque afficientem, ubi ad extremum

animi piorum laetitia exultantes, pulcherrimam divini
numinis, et caeterarum omnium rerum scientiam conse-
quuntur, et globos aethereos monumenta manuum suarum
aeterna, et candorem Solis et Lunae, stellasque vagas, et
5 inerrantes, incredibili cum voluptate mirantur. Hunc itaque
EPISTEMONEM, qui per omnes liberales facultates, omnes-
que Philosophorum Sectas et artes incedit, et tradit opera
haec mirabilia, et divina sapientiae monumenta sempiterna,
atque immutabilem ordinem, pulcherrimamque descri-
10 ptionem, et structuram tanquam ad regulam factam, et ad
lineam respondentem, quae universos mortales ad cultum
et venerationem mirabiliter accendit: has, inquam meas lu-
cubrations, quibus elucescit, quicquid obscurum et abditum
in Mosaica disciplina admiramur, et quicquid in naturae
15 universitate latet, ut pro primo declarandi animi mei erga
vos officio et studio eo animo excipiatis, quo semper piorum
vota excipere soliti estis: hancque gratiam pro summa vestra
in me pietate et clementia, quam vobis iure optimo et me-
ritissimo refero, quamque semper declarastis innocentibus
20 et egenis iuvandis, ut benigne consulatis, supplex oro. Dabo
porro operam, ut quod nunc simul propter angustiam
temporis praestare me oportuit, prima commoditate singulis
operibus singulatim resarciatur. Interea id, quicquid est, mei
erga vos candoris, officii, studii, et observantiae, vobis
25 dedicatum, consecratum ac nominique vestro adscriptum
pignus perpetuum ac sempiternum, ut aequo, et bono, opti-
moque animo suscipiatis, obsecro atque obtestor. Faxit Deus
Opt.[imus] Max.[imus] quem ardenti pietate incensis
precibus rogo atque obsecro, ut omnibus vestris inceptis et
30 conatibus adsit, ut quicquid optatis, quicquid aggredimini,
vobis succedat ex sententia. Ego vero vos diligam semper
toto animo, et quanta maxima potero pietatis observantia
semper venerabor et colam: neque tamen pares Celsitudi-
nibus vestris gratias agere et habere, sed ne partem quidem

ullam vestrorum meritorum satis cogitare, atque animo
comprehendere valeo. Quapropter vestris commodis et
integritati atque puritati animi semper adhaerebo, et sem-
per liberalitatis atque pietatis vestrae, qua me extraxere
5 contenditis, ex profundis calamitatum gurgitibus, quibus
absorbeor, memor ero. Vivite iam, optimi Principes, ves-
trumque praesidium a cunctis piis auguste, sancteque colatur,
et venerabile nomen vestrum perpetua memoria celebretur.
Immortales vobis, inquam, gratias agam semper pro tantis
10 vestris erga me beneficiis, et laudes vestras etiam inter exterarum
nationes praedicabo, ut omnibus piis, et universae posteritati
innotescant, vestrumque decus et gloria sit immortalis. Valete
ad multos annos quam optime et felicissime. Datum Coloniae
3. Calend.[is] Septemb.[bribus] 1571.

15 *i odvojeno prijē početka samog teksta*

CATHALOGUS ET ARGUMENTA
LIBRORUM EPISTEMONIS.

1. Omnium scientiarum, omnisque Philosophiae, Orphicae,
Pythagoricae, Platonicae, communis, sive Peripateticae,
20 Medicae, Iuridicae et Theologicae, deinde etiam Symbolicae
vel Hebraicae, summam et brevem descriptionem com-
plectitur. 2. De mysteriis mysticae Philosophiae et varriis
involucris, aenigmatibus, et velaminibus, Hebraeorum,
Chaldeorum, Aegyptiorum, Persarum, Arabum, Graecorum,
25 et Latinorum. 3. De anima separata eiusque passione, de
rerum Sympathia, et Antipathia, de barbarissimo, et de
Ioannis Vueri praestigiis. 4. De Iustitia aeterna, seu vera
promissione, de ipsamet absoluta idea magna potenti ac
terribili: de origine et transmigratione Philosophiae, deque
30 Symbolis et doctrina Pythagorae. 5. De vera Christi doctrina,

Iustificatione, Vocatione, de patriae huius vero colono, deque ignorantiae verae encomio. 6. De coetu Antichristi, hoc est effrenata libidine et solitaria, pertinatia haereticorum atque hypocritarum, deque Therapeutarum ritu. 7. De Labyrintho Rhomani Antichristi, id est, Lutheri. 8. De Missa et eius origine atque conditionibus. 9. De triginta duobus articulis Canonis Missae. 10. De novem choris Antichristi Rhomani, agminis videlicet Lutheri, omniumque haereticorum. 11. De origine illustrium, Esseorum ritu, Argonautarum spiritu, Therapeutarum, Gymnosophistarum institutione, et utriusque nobilitatis initiis, eiusque statu atque regalibus, et contemptu huius saeculi. 12. De revolutione Alphabetaria, seu perfectissima, ad omne genus scientiarum methodo. 13. De dialectica contemplativa ad consequendos scientiarum habitus, perquam utilis ac necessaria. 14. Conclusiones in omni scibili mille quingentae quinquaginta tres olim Bononiae propositae. 15. Encomium scientiarum.

II.

Studet ingrata, et importuna gens, mihi vitam eripere, et meum nomen ex omni hominum memoria funditus delere: at tu domine Deus et pater caelestis optime, atque sanctissime, servulum tuum conserva, quia in tua misericordia omnem meam spem et praesidium locavi: omniaque mea pietatis studia et officia, tibi consecravi, ut cum in nulla re opus opera mea habeas, reliquum sit, quo illa constent in homines sanctos, et virtute praecellentes, qui mecum in hac vita misera, fragilique peregrinantur, quos tu iam inde ab omni aeternitate, ex infinita mortalium multitudine selegisti, quo vitam puram, et castam agentes, in terris, postea beati aevo sempiterno fruere in caelo. Hos ergo consilio, doctrina, exemplo, rebus denique omnibus iuvabo, et viam tutissimam, rectissimamque muniam, quae illos perducat ad vitam beatam et

immortalem, atque haec mea beneficia, et studia tibi perinde
grata, et iucunda erunt, quasi tuo numini tributa forent. Hinc
est, quod nondum quum excessissem annum aetatis meae
vigesimum, Encyclopaediam sive orbem disciplinarum tam
5 sacrarum quam prophanarum, scripserim, quae tandem
typis Ioannis Oporini in lucem prodit: sed malitia servi
nequam a manu ensis mei, multis erroribus aspersa, imper-
fecta, manca, mutila, et misere dilaniata, decennium ho-
minum in manibus versatur: id quod amplius mihi accedente
10 etiam cohortatione optimi viri Gerardi Martelli clarissimi
medici silentio ferendum minime fuit, cum propter multas,
tum maxime propter hanc causam, quod optimo Caesari
Ferdinando huius nominis primo, felici quondam, augusto,
pio et Catholico Imperatori, dedicata fuerit, ut sub nomine
15 et praesidio, tam pii et Catholici principis, tam mendosa,
corrupta, ne dicam impostura servi illius nequam magna ex
parte haeretica, circumferatur. Appuli ergo animum ad illius
instaurationem, eamque ita restitui, ut plane opus novum,
catholicum, et longe utilissimum omnibus esse possit: quam
20 si quis se mihi obviam faceret, libenter ad unguem traderem,
et omnem prorsus nodum vel tenuissimum explicarem, in
re alias admodum nodosa. Sed miror, et demiror etiam, quod
admodum rari sint, qui ad id animum intendant, ad quod
natura quoque ipsa omnes trahimur, et ducimur, videlicet
25 ad insitam, vel potius innatam nobis cognitionis, et scientiae
cupiditatem, ad congregationem, ad societatem, ad commu-
nitatemque generis humani: quorum amor in nobis tantus
est, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res nullo emo-
lumento invitati rapiamur, eiusque gratia avemus aliquid
30 videre, audire, discere: cognitionemque rerum, aut occul-
tarum, aut admirabilium, ad bene beateque vivendum
necessariam ducimus. Quocirca ingenuos homines in primis
debet liberali cognitione delectari, scientia capi, et cum

maximis curis atque laboribus compensare eam quam
discendo capiunt voluptatem: imo praeter communes
doctrinas etiam Aegyptiorum, ac Hebraeorum priscam illam
Theologiam percurrere, et perspicere, et eam fidem, quam
5 cupiditati suae, erga bonarum artium studia debent liberare:
et in theatrum universalis Philosophiae prodire, in quo exer-
cetur Metaphysica, Physica, ex qua Medicina, tum quae de
anima pertractat, et Mathematicae quattuor, quas et doc-
trinales appellant, Arithmetica, Musica, Geometria, et Sphae-
10 rica (cum suis illis veluti pedisequis, Calculatoria, Geodesia,
Canonica, Astrologia, Optica, et Mechanica) nascuntur. Item
Moralis, Oeconomica, et Politica: Rationalis tandem, unde
Grammatica, Historia, Dialectica, Rhetorica, et Poetica emer-
serunt. Postea sacrum illud litterarum sacrarum symbolum,
15 quod Philosophiam symbolicam appellare soleo. Haec omnia
cui tandem tradam, ut talenti accepti aliquando rationem
reddere valeam?

III.

Quod ita patet. Ducatur Sphaera plana, sive circulus decem
figurarum numeralium super centrum quod sit quinque. est
20 enim medium denarii, et in eius circumferentia particulariter
denariae supputationis numeri singuli describantur, tran-
seatque diameter a minimo ad maximum, hoc est ab uno ad
novem, cuius divisio duos semicirculos efficiet: a parte
siquidem dextra Sphaerae post unum, et ante novem su-
25 perius commemorata, ponantur duo, tria, quattuor, quinque:
a parte vero sinistra post unum, et ante novem, reponantur
quinque, sex, septem, octo, et trahantur lineae per centrum
a duobus, ad octo, a tribus ad septem, a quattuor ad sex, a
quinque ad quinque. Tum si maximo cuique tantum sub-
30 traxeris, quantum abundat supra quinque, quod est Sphaerae
denariae centrum, atque idem suo minimo addideris, qui a

quinque defecit, semper ex utrisque oppositis numeris
quinque et quinque adaequata surgent: quare comparatis
invicem linearum punctis, quaelibet lineae descriptio
numeralis, quinque et quinque obtinet. Quinarius igitur
5 numerus in circulo denariae revolutionis dicitur sphaericus,
quia ut vides omnes numeri Sphaerae ad quinque redi-
guntur. Id autem fit per quinque lineas in Sphaera ductas
quarum singulae decem continent. Eo itaque Sphaerico nu-
mero, per decem multiplicato nascentur quinquaginta sive
10 portae intelligentiae, seu anni Iobelai, cuius proportio dupla,
quae est arithmetica formalitas, in se multiplicata millesimam
generationem procreabit: quod si perpetuo sic facies, appa-
rebit, infinitudo, quae est regnum omnium saeculorum, a
Symbolistis Ensoph nominatum, et est Deitas ipsa sine indu-
15 mento. Reliqua enim Deus produxit, amictus lumine sicut
vestimento, ut esset lumen de lumine, ac inde cum vestimenti
sui lumine creavit mundum intelligibilem spirituum sepa-
ratorum, et invisibilium, quod Symbolistae vocant coelum.
Usque huc ascendit Moses, ut cognosceret lumen vestimenti
20 eius et sabbathum sabbathorum, et Iobelaum superius, et
millesimam generationem. quod totum nil aliud est, quam
mundus superior idearum, angelorum, felicium animarum.
Siquidem ergo indumentum Dei transcendere, ac faciem eius
videre nequiverit, recte dicitur ex quinquaginta portis inte-
25 lligentiae una caruisse scilicet תחייה id est vivificatione seu
essentia Dei. Christus enim Dei vera est essentia et mundi
vivificatio.

IV.

PHI. Fecisti mentionem numerationum, litterarum, semita-
rum, et portarum intelligentiae: quid obsecro haec sibi vo-
30 lunt? EPIST. Numerationes, sive attributa, vel scalae gradus
sunt decem, per quos ad cognitionem omnium quae sunt

vere aut sensu, aut scientia, aut fide, ab imo ad summum ascendere possumus. Intellectus enim humanus quae supra sunt intelligit in sapientia, et quae infra sunt, sapit in intelligentia. Et sensus exterior statuit rem ab obiecto per species
5 oblatam, et sensus interior statuit rem super puritates, id est abstractiones specierum, quae ante fuerant diaphano, ac demum phantasiae sunt peculiare. Deinde iudicium inter phantasia et rationem, investigat ex iisdem apparentiis, et ratio discursu vario conclusionemque probat in eis. Itaque
10 intellectus Creatorem ut causam omnium causarum primam, reponit in thronum suum, quae est ipsa mens. Unde decem numerationes quibus homini contingit rerum apprehensio referuntur ad obiectum, diaphanon, sensum exteriorem, sensum interiorem, phantasia, iudicium
15 inferius, iudicium superius, rationem et intellectum, quae omnia non tam sunt quid, quam quo. Suprema vero mens in homine aliud quid est. Quapropter sicut Deus in mundo, ita mens in homine inter decem Sephiroth, regni gerit diadema, et recte cognominatur corona. quae sola divina est,
20 et sola extrinsecus homini accedit, a cuius lumine recepto virtutes inferiores diriguntur et gubernantur. Sunt autem decem numerationes vel Sephiroth a Symbolistis appellatae, atque nomina divina, quae nos mortales de Deo concipimus, vel essentialia, vel personalia, vel notionalia, vel communia,
25 scilicet Corona, sapientia, prudentia sive intelligentia, clementia seu bonitas, gravitas vel severitas, ornatus, triumphus, confessio laudis, fundamentum et regnum. Supra coronam vero ponitur infinitudo, et est abyssus. Literae sunt 22. & Aleph, nota summarum et altissimarum rerum,
30 quae primo effluxu divinae bonitatis subsistunt: ut puta angeli, qui dicuntur Haiioth hakados, id est, animalia sanctuarii, vel potius vitae absque medio subter Deum. Hi angeli (inquit Capnion) virtute Dei, proxime inferiores purgant, illuminant et perficiunt, quae communi vocabulo

dicitur influentia. 2 Beth secunda litera, secundum significat
ab ipso Deo gradum angelorum, qui dicuntur Ophanim, id
est, formae seu rotae ac secundo loco deveniunt a Dei vir-
tute per intelligentiam priorem, et ipsi a Deo quoque
5 inferioribus influunt. Dixere simul etiam sapientes, quod
Beth sit nota sapientiae. 3 Gimel repraesentat ex essentiis
superioribus angelos, qui dicuntur Aralim, id est, angeli
magni, fortes et robusti, qui descendunt ordine tertio, a
divinae maiestatis bonitate, illuminanturque virtute Dei per
10 intelligentiam secundam, et ipsi pariter inferioribus influunt.
4 Daleth symbolum est emanationis quartae apud superos,
eorum qui dicuntur Hasnallim, et in virtute Dei per medium
intelligentiae tertiae influuntur, et illa virtute inferioribus
influunt. 5 He, litera designat entia superiora, quintae ab ipso
15 Deo emanationis, quae sunt Seraphin, et influuntur de
virtute Dei, per medium intelligentiae quartae, ac eadem
virtute inferioribus influunt. 6 Vau, notat, essentiam su-
periorum emanationis sextae, qui dicuntur Mallachim, id
est angeli, et influuntur de virtute Dei per medium inte-
20 lligentiae quintae ac eadem virtute inferioribus influunt. 7
Zain, signaculum est spirituum beatorum superiorum
emanationis septimae, qui nominantur Elohim, id est dii, et
influuntur de Dei virtute per sexti ordinis angelos ac eadem
virtute inferioribus influunt. 8 Heth, signum est superiorum
25 emanationis octavae, et sunt angeli, qui vocantur Bne Elohim,
id est filii deorum, de virtute El, per angelos septimi ordinis
influxi, ac eadem Dei virtute inferioribus influunt. 9 Teth,
nota est angelorum emanationis nonae, qui vocantur
Cherubin, et influuntur de virtute Dei per medium inte-
30 lligentiae octavi ordinis, et eadem virtute inferioribus
influunt. 10 Iod, litera decima significat essentiam intelli-
gentiarum, emanationis decimae: appellantur autem Issim
nobiles et patricii, suntque omnibus Hierarchiis inferiores,
et Dei virtute illustrantur per nonum chorum, eademque

virtute influunt filiis hominum cognitionem, et scientiam rerum mirificamque industriam. Unde dicuntur qui tali sunt praediti facultate filii $\psi\alpha$ id est, homines nobilis intelligentiae, de quibus psal.[mus] 49. Quique terrigeni et filli hominum, 5 quod proprie sic legitur, tam filii plebei, quam filli patricii, quasi diceretur, tam agrestes, quam nobiles. Eam denominationem ab hoc intelligentiarum ordine sumimus nos ipsi. Est enim in nobis intellectus agens, summa pars animae, quam Aristoteles $\nu\omicron\zeta$ hoc est mentem appellat, quae nobis 10 sola de foris advenit. Inde procedunt visiones propheticae, ac omnia magna et sancta: vocatur autem שכל הפועל quo finitur mundus angelicus. כ Caph, ea litera designat primum mobile ab ipso El Sadai, tanquam a caussa prima immediate, licet per rationalis vitae spiritum communicative motum, 15 qui est angelus Metatron, et dicitur intellectus agens mundi sensibilis, per penetrationem formarum inferioribus omnibus viam praebens, quare influit virtute divina in omne quod est mobile. ך Caph finale, significat gyrum stellarum fixarum, quae sphaera octava nominatur quantum ad nos. 20 sed quo ad superiora est orbis secundus in duodecim Zodiaci signa divisus, quae Hebraei מזלות Masloth appellant, influiturque de virtute Dei per medium intelligentiae ipsius Caph, similiterque inferioribus influit. ל Lamed, est signum primae sphaerae planetarum, et dicuntur לכת quasi 25 ambulones, quos Latini erroneos appellant, instar Graecorum qui ob id eos asserunt esse $\text{\pi\lambda\alpha\nu\eta\tau\alpha\varsigma}$. Diciturque orbis septimus, Saturno attributus, quem Hebraei שבתאי Sabathai nuncupant, influit et influitur. מ Mem apertum notat Spheram Iovis, qui ab Hebraeis צדק zedeck nominatur, et a 30 virtute Dei per medium intelligentiae superioris influitur, eademque virtute inferioribus influit. ם Mem clausum est symbolum sphaerae Martis, quem Hebraei appellant מאדים Madim orbis quinti, et virtute Dei creatoris influitur per

angelum proxime superiorem, et eadem virtute inferioribus
influit. נ Nun significat luminare maius, quod vocatur שמש
Schemes et sol et eius sphaera dicitur orbis, חמה influiturque
a Deo per medium intelligentiae sextae, qua et influit in
5 inferiora. ך Nun finale sphaeram indicat Veneris, quae ab
Hebraeis vocatur נוגה Noga, et Dei virtute constat, influitque
mediante intelligentia septima. ט Samech, est symbolum
cancellarii, qui dicitur כוכב Cochab, et Latine Mercurius:
influitur autem virtute Dei a superioribus eademque virtute
10 inferioribus influit. ע Ain, est nota sphaerae lunae, quae
dicitur ירח Iareach, et apparet quasi oculus sinister mundi:
estque inter astrifera ultimus orbium, et propter albedinem
quandoque nominatur לבנה Leuanach. פ Pe, significat
animam intellectualem, singularem, et universalem, et
15 dirigitur ab intelligentiis separatis, quibus infunditur a Deo,
tam in sphaeris, quam in stellis, et in omnibus animatis
superioribus et inferioribus sphaerarum, et elementorum.
ץ Phe finale denotat spiritus animales, qui diriguntur ab
intelligentiis superioribus de virtute atque mandato Dei. צ
20 Zade, symbolizat materiam tam coelorum, quae est inte-
lligibilis, quam elementorum, quae est sensibilis,
omniumque mistorum. Diriguntur autem virtute divina per
intelligentias separatas, et per formas proprias. ך Zade finale
monstrat elementorum formas, quae sunt ignis, aer, aqua,
25 terra, et reguntur divina virtute per angelos, qui dicuntur
אישים Issim et virtute coelorum, et virtute materiae primae,
quae est fons et origo cunctorum elementorum. ק Kuph, est
symbolum inanimatorum et mineralium, et eorum quae
dicuntur elementata et mista. Diriguntur autem virtute
30 divina per Sphaeras caelestes, et intelligentias separatas quae
vocantur אישים, et influunt inferioribus in regione quattuor
elementorum. ר Res, significat omnia vegetantia, fructus, et
fruges, ac terrae nascentia, influunturque virtute Dei, a
corporib.[us] coelestibus et intelligentiis separatis nomine

אִישִׁים, itemque complexionibus elementorum. ף Sin, designat omnia sensitiva tam reptilia terrae ac progressiva, quam aquarum pisces et aëris volucres simul, et quaecunque irrationalia vitalem motum habentia, quae virtute Dei
5 reguntur a corporib.[us] coelestibus, et intelligentiis quas vocant אִישִׁים, et complexionibus elementorum. ת Thau, est symbolum hominis et naturae humanae, quae est perfectio et finis omnium creaturarum, dirigiturque a Deo complexionibus ac qualitibus elementorum, iuxta
10 influentias coelorum, et per officia peculiaria intelligentiarum separatarum אִישִׁים Issim, qui sunt angelicae conditionis. et sicut sunt finis et consummatio in mundo angelorum, ita est homo finis et perfectio creaturarum in mundo elementorum, quin potius in mundo universorum: constitutus est enim ex
15 duobus mundis, sicut scriptum est, Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae, et spiravit in faciem eius spiraculum vitae. Breviter ita accipe, ex Rabi Iacob Cohen

INSTITUT ZA FILOZOFIJU

1.	1.8	aleph	א	ac si enumerasst his verbis	aura
2.	2.2	Beth	ב		vila
3.	3.2	Gimel	ג		Pax
4.	4.7	Daleth	ד		Sapientia
5.	5.7	He	ה		Visus
6.	6.1	Vau	ו		Auditus
7.	7.7	Zain	ז		Odoratus
8.	8.5	Heth	ח		Locutio
9.	9.2	Teth	ט		Infusio
10.	10.1	Iod	י		Cubatio
20.	11.2	Caph	כ	Opes	
30.	12.5	Lamed	ל	Negotium	
40.	13.2	Memo	מ	Aquae	
50.	14.2	Nun	נ	Mearius	
60.	15.2	Samech	ס	Spiritus	
70.	16.5	Ain	ע	Risus	
80.	17.2	Pe	פ	Semen	
90.	18.2	Zade	צ	Suspicio	
100.	19.2	Kaph	ק	Sopor	
200.	20.7	Res	ר	Gratia	
300.	21.2	Sin	ש	Ignis	
400.	22.2	Thau	ת	Potestas	

Semitaе autem sunt triginta duae, a summo culmine ad ima basis tendunt, quarum prima est Intelligentia miraculosa, sive occulta, lumen dans intelligere praecedentia sine principio, nominaturque gloria prima, quoniam nulla creaturarum mera essentia ac veritati eius valet appropinquare. 5 Secunda est intelligentia sanctificans, videlicet fundamentum sapientiae aeternae, quae vocatur fides, et nominatur parens fidei, eo quod de eius virtute fides infunditur. Tertia, Intelligentia absoluta, est intentio principiorum, quae non 10 radicavit ad reducendum sibi aliqua in penetralia maiestatis suae, quae infundantur ab anteriore. Quarta, Intelligentia munda purificat numerationes Symbolicas et figurationem earum emendat, disponitque terminos, et extremitates suas, ut sint absque detruncatione aut dispersione. Quinta, 15 Intelligentia fulgida, dicitur Symbolistis gloria secunda. Sexta, Intelligentia resplendens, sedet super thronos splendoris, et illustrat fulgorem luminarium, et infundit influxum suum praefecto superficierum, et eminentiarum. Septima, Intelligentia inductiva, est ipse thronus gloriae, perficitque veritatem communicationum spiritualium. Octava, Intelligentia 20 indicata, quae conveniens unio dicitur, et est proprium ipsius prudentiae, quae infunditur a sapientia superiore. Nona, Intelligentia triumphalis vel aeterna, vocatur paradisi voluptatis paratus sanctis. Decima, Intelligentia dispositiva, 25 aptat sanctis in fide apparatus, ut induantur spiritu sancto, et est illud quod vocatur Tiphereth in statu supernorum. Undecima, Intelligentia claritatis, est species ipsa magnificentiae dicta, תורה¹ quoniam ex ea oritur visio vaticum visionem videntibus. Duodecima, Intelligentia notata, 30 insignis raptus, a qua defluunt virtutes spirituales instar

¹ Riječ תורה nije identificirana, ali se najvjerojatnije, prema kontekstu, radi o korijenu תורה što znači gledati ili imati viziju.

infusionis unius ab altera secundum primi influentis energiam. Tredecima, Intelligentia recondita, illustrat solum potentias talium intellectuum, qui per cogitationem fidei creditae vident. Quartadecima, Intelligentia illuminans, quae
5 est ipse Hasmal angelus Ezechielis, quasi species electri, institutor arcanorum, animalium sanctuarii, et intentionum eorum. Quintadecima, Intelligentia subtiliata, disponit ordinem, quo conceditur accessus, per gradus ascensionis. Sextadecima, Intelligentia fidelis, qua augentur virtutes
10 gratificatae iuxta vitas eorum in quibus habitant. Septimadecima, Intelligentia probatoria, est tentatio et probatio antecedens, in qua consistit donum Dei benedicti erga omnes sanctos eius. Octava decima, Intelligentia confirmans, est virtus restituens in numerationibus symboli-
15 cis, si quid illis desit vestiendo eas de spiritu sanctitatis suae. Nonadecima, Intelligentia voluntatis providet omnibus creatis, et per eam cognoscunt Symbolistae veritatem sapientiae superioris. Vigesima, Intelligentia constituens, facit stare ipsam creationem in caligine munda. Et Symbolistae
20 dicunt, quod sit caligo, iuxta illud, Caligo in circuitu eius. Vigesima prima, Intelligentia innovans, per quam reparantur et innovantur omnia creata in hoc mundo. Vigesima secunda, Intelligentia domus largitatis, de medio infusionis illius trahuntur arcanum, et absconditum, quae habitant in um-
25 bra eius, et adhaerent educationis studio atque diligentiae promoventis ad alta. Vigesima tertia, Intelligentia activitatum, est collectio et universitas operationum spiritualium, sic dicta propter influxum, qui congregatur in ea de fonte pelagi superioris, et gloriae excelsae. Vigesima quarta, Intelligentia
30 medians, qua colligitur influentia gratiarum, et ipsa infundit largitatem in omnia stagna seu piscinas benedictionum a se appropriatarum. Vigesima quinta, Intelligentia collectiva,

qua colligunt Astrologi iudicio stellarum fatales eventus, et
notitiam eorum perficiunt, sphaeris et orbibus suis.
Vigesima sexta, Intelligentia adminicularis, concurrat in
subsidium, ad omnes operationes planetarum, et alios
5 influxus coelestes. Vigesima septima, Intelligentia perpetua,
quotidie continuatur, per meatum Solis et Lunae, secundum
conditiones eorum. Vigesima octava, Intelligentia corporalis,
informat omne corpus, quod incorporatur sub orbibus, itemque
magnitudinem illorum. Vigesima nona, Intelligentia
10 complacentiae quaesiti, recipit divinam infusionem, ut
participet de irrigatione eius super omnia creata. Trigesima,
Intelligentia concitativa sensuum, qua fiunt entia sub orbe
supremo, et omnia genera mixtorum. Trigesima prima,
Intelligentia imaginaria, qua variantur et alterantur omnes
15 figurae, ac imagines creatae, iuxta superficies rerum, et
natura earum. Trigesima secunda, Intelligentia naturalis, qua
consummatur natura rerum materialium sub sphaera Lunae
ad perfectionem suam. Portas porro quinquaginta intelli-
gentiarum ex creatione mundi Hebraei hoc pacto eruunt, ut
20 sit prima Deus. 2. mundus archetypus. 3. mundus visibilis.
4. inane. 5. vacuum. 6. naturalis abyssus, 7. tenebrae. 8. spi-
ritus. 9. aqua. 10. lux. 11. Dies diei primae. 12. nox. 13. vesper.
14. mane. 15. dies una. 16. aqua supra firmamentum. 17.
firmamentum. 18. aquae sub firmamento. 19. coelum visibile.
25 20. terra quam terimus. 21. maria quae navigamus. 22. herbae.
23 semina. 24. ligna. 25. fructus. 26. luminaria. 27. signa. 28.
tempora. 29. dies quartae diei. 30. anni. 31. splendor. 32. Sol.
33. Luna. 34. Saturnus. 35. Iuppiter. 36. Mars. 37. Venus. 38.
Mercurius. 39. Stellae. 40. anima vivens. 41. reptilia. 42. cete.
30 43. pisces. 44. volatilia. 45. aves. 46. animalia progressiva. 47.
reptile terrestre. 48. iumentum. 49. bestiae. 50. Adam. Haec

sunt quae tibi paucis erant de Symbolica Philosophia
narranda, intellexin? PHIL. Intellexi probe, et usque adeo
me haec institutio tua oblectavit, ut parum minus abfuerit,
quin in ecstasin raptus, vix ad me redire queam: utinam mihi
5 perpetuo liceat istiusmodi hospitibus convivari, nil mihi vel
gratius vel antiquius contingere posse omnino arbitrarer.
Quocirca penes te et vitae meae, et fortunarum omnium ius.
Ego iam mihi videor esse non in Elyseis campis, sed in ipso
Paradiso, de quo Augustinus ad Orosium sic scribit, Paradisus
10 in Oriente situs est, interiecto Oceano, et a nostro orbe longe
remotus, in altissimo loco constitutus, pertingens usque ad
Lunarem circulum, unde illuc aqua diluvii minime perve-
nisse dicitur. hic locus a primi hominis reatu interclusus est,
nec ulli animantium datur in eum aditus. In hoc igitur Pa-
15 radiso puto me iam versari et refici ambrosia ac nectare.
EPIST. Siquidem haec ea attentione audiveris, et complexus
sis, non dubito, te nostro consortio utilem, tibiue nostra
studia haud ingrata fore: qua de re plura secundo libro
intelliges. Nunc tibi breviter nostrum dogma narrabo. Uni-
20 versa divina philosophia in quattuor distribuitur partes.

INSTITUT ZA FILOZOFIJU